METHODUS concionandi.

---

1 Pet. 4. 11.

Εἴτις λαλεῖ, ὡς λόγια Θεοῦ.

---

2 Tim. 2. 15.

Σπούδασον σεαυτὸν δόκιμον παρασῆσαι τῷ Θεῷ, ἐργάτην ἀνεπαίσχυντον, ὀρθοτομοῦντα τὸν λόγον τῆς ἀληθείας.

LONDINI,

Ex Typographia *M. F.* sumptibus *Timoth. Garthwaite* ad insigne S. *Georgii* in vico vulgò vocato *Little Britain*. MDCXLVII


Methodi concionandi
Definitio. Cap. 1.
Partes 4 de
Doctrinâ
Præparatio ad eam
Ingreſſus, ſive aditus ad Scripturæ periochen, in quâ continetur. Cap. 2.
Conſtitutio ejus, ubi
Quid ſit Doctrina. Cap. 3.
Quomodo conſtituenda. Cap. 4. uſq; ad 11. incluſivè.
Tractatio ejus
Directa in
Explicatione. Cap. 12.
Confirmatione, ὅτι, διότι. Cap. 13.
ostendendo τὸ
Vindicando ab Objectionibus. Cap. 14.
Usu, qui conſideratur in
Genere. Cap. 15.
Specie circa
Mentem, ut
Inſtructio. Cap. 16.
Refutatio. Cap. 17.
Cor ſub
Præſenti intemperie, ut
Reprehenſio. Cap. 18.
Conſolatio. Cap. 19.
Reſpectu ad futurum
Bonum, ut Exhortatio. Cap. 20.
Malum, ut Dehortatio. Cap. 21.

METHODUS CONCIONANDI.

Caput Primum.

Methodus concionandi est discursus super textu aliquo Scripturæ varias ejus partes secundùm ordinem naturæ disponens: unde omnium inter se convenientia judicetur memoriâque comprehendatur.

De Crypticis hujus Methodi in genere.

1. METHODUS hæc duobus modis occultari poteſt : nimirum vel ſpecie tantùm, vel ipſâ etiam re. Priori modo, cùm revera obſervatur, manétque ipſi Concionatori tanquam filum, quo à principio orationis ad finem uſque ſine ullo errore perducatur ; interim tamen Auditores celatur, partim non proponendo aut nominando ab initio capita quibus inſiſtendum eſt, partim non adhibendo tranſitiones ab uno capite ad aliud, partim denique tum capita

capita ipſa tum eorum connexiones aliis terminis aut reſpectibus veſtiendo.

2. Poſteriori modo, cùm non tantùm in ſpeciem, ſed re ipsâ Methodus occultatur. Atque hoc iterum bifariam (neque enim libet digreſsionibus aut heterogeneis introducendis viam aperire:) Primò, unam aut alteram è partibus ſolennibus omittendo: Secundò, turbando ſeu invertendo ordinem. Utrunque quando aut quatenus faciendum ſit, prudentiæ eſt dictare.

De ingressu sive aditu ad textum Scripturæ, de quo sermo habendus est.

CAPUT II.

Partes Methodi sunt de { Doctrinâ. Usu.

In Doctrinâ considerandâ sunt { Præparatio ad eam. Tractatio ejus.

In præparatione { Aditus ad locum ubi est. Constitutio ipsius Doctrinæ.

1. De aditu. Si Concionator integrum aliquem librum, Epistolam, Psalmum sibi pertractandum proponat: pri-

primò ſummum totius ſcopum, & partes (ubi diſtributionis integri in membra præcipuus uſus eſt) in maximâ latitudine breviter exponat. Tunc primæ partis partes, ſi quas habet. A quarum primâ ordiendum, & ſic ad reliquas deinceps progrediendum.

2. Similiter ſi majorem alicujus integri tractatûs portionem aggrediatur: primò ſcopum, deinde partes conſtituat, oſtendátque quomodo pars illa, de qua agit, cum reliquis cohæreat atque ad ſcopum illum tendat. Conſideret autem eam primò in ſe, ſecundò in relatione ad totum.

3. Denique ſi particularem

ali-

aliquem textum ſumat, ut unius aut alterius concionis ſubjectum: ſi in contextu ſit (ut multa in Proverbiis, &c. non ſunt) oſtendat imprimis connexionem hujus, ſive relationem ad principalem partem, ad quam pertinet; aut, ſi tractatum inchoët, oſtendat primò quò illud, cujus hoc membrum eſt, ſpectet, & quomodo hoc ipſum illò conducat. Et particularis ille textus conſideretur primò in ſe, tum verò in relatione (ſi quam habet) ad id quod præcedit. Vide exemplum Cap. 4. Sect. 6. & Cap. 6. Sect. 17. & alibi.

De

De constitutione Doctrinæ.

CAPUT III.

1. DOctrina quid sit.

Doctrinam voco Divinum axioma in Textu comprehensum.

Hujus definitionis (quia novum aliquid sonare videtur) ratio mihi reddenda est per singulas partes.

I. *Axioma.*] Hoc enim imprimis velut solum aut fundamentum pono, Nihil esse verum aut falsum præter axioma. Adeóque quicquid Divinæ veritatis nobis revelatur (fallitas enim verbo Dei subesse non potest) in axiomatis

tis S. Scripturæ continetur.

II. *Divinum.*] Multa enim ſunt in Scripturis axiomata, quæ Divina non ſunt, ſed ab hominibus non ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερομένοις enuntiata, imò quædam ab ipſo patre mendaciorum. Hoc tamen Divinum axioma conſtituit, Tales talia dixiſſe. *Mat.* 4. 6. *Dicit Ei, Dejice Te.* Motivum adhibet [*Si Filius Dei es.*] Allegat Divinum teſtimonium pro indemnitate [*Nam ſcriptum eſt, &c.*] Quam Scripturam rectè citatam omnes dæmones invalidare nequeunt. Meliùs tamen tractabitur ſuo loco; & hîc ſolùm obſervabitur fraus ſatanæ in allegatione & applicatione. Sunt

Sunt etiam in Scripturis quædam fictæ Propoſitiones, quæ (ſpeciali privilegio Comparatorum) arguunt reales Redditiones, & diſpoſitæ cum ſuis Redditionibus faciunt Divina axiomata (ſicut & partes earum, quæ ad ſcopum pertinent, partibus Redditionum applicatæ:) Ipſæ tamen fictæ Propoſitiones, aut earum partes, in ſe ſeorſim à ſuis Redditionibus conſideratæ non faciunt Divina axiomata. Exempla ſunt Parabolæ Seminantis, Zizaniorum, &c. in quibus explicandis Servator noſter topicum fictum reali applicat. Vide Cap. 6. Sect. 16.

III. *In Textu comprehensum.*] Non tantùm inde per consequentiam deductum. Siquidem axiomata, quæ in Scripturis inveniuntur, primæ veritates & veluti Principia appellari possunt, respectu eorum quæ virtualiter in iis continentur, ab iisque bonâ consequentiâ deduci possunt. Et hæc principia ea sunt, quæ sola pro Doctrinis haberi velim. Hæc tamen non semper totidem verbis formaliter in Textu habentur, neque adeò cuivis fortè obvia sunt, aut primò intuitu conspicua; sed aliquando præmissâ explicatione, aut etiam collatione cum aliis Scripturis, præsuppositis quo-

quoque tum communi loquendi usu, tum Dei loquentis sapientiâ, eruenda sunt, & in formam redigenda.

Hæc (inquam) sola pro Doctrinis haberi velim. Primò, quia hoc modo Auditores adsuescere possunt Textui Verbi Divini, dum per omnia ejus axiomata (hoc est, expressas veritates) quasi manu ducuntur: cùm aliàs ferè à concione abeant non minùs ignari Textûs ipsius quàm accesserunt.

Secundò, hoc modo Auditor Doctrinam quasi ob oculos habebit; adeò ut domum se conferens, aperto libro, dicere possit, Hanc partem Verbi

Divini

Divini hodie explicatam & applicatam audivi: cùm Doctrina per consequentiam deducta (sæpe obscurè, non rarò infirmè, aliquando falsè) citò oblivioni tradatur, aut ità mereatur, atque ità totius concionis fundamentum collabatur.

Tertiò, hoc modo Concionator necessariò adstringit se ad verba Textûs, & saltem in fundamento discursûs sui jaciendo non errabit: cùm è contrà, excusso hoc fræno, infinita detur evagandi licentia, faciendi quidlibet ex quolibet, & applicandi paucas quasdam generales collectiones cuilibet Textui (sæpe connexioni,

nexioni, antequam Textus ipſe intelligatur) adeóque intacto & neglecto Textu, implendi aures & animos Auditorum impertinentibus (fortè & periculoſis) dogmatibus pro Doctrinis.

Quartò, hoc modo Uſus reflexus in Auditores in immediatâ virtute principii multò efficacior erit ad animos eorum convincendos & ſubigendos, magíſque fidenter & authoritativè urgeri poteſt à Concionatore. E contrà, quando uſus ex uſu longis & incertis conſequentiis infertur; quantò quiſq; remotior eſt à ſuo principio, tantò minus illius in ſe habet, minúſque in illius

illius virtute agit: Itáque facilè præbet Auditoribus occasionem evadendi, dicendíque (ut solent, præsertim in Reprehensionibus) *Longè aberravit à Textu.* Neque verò potest Concionator ipse ullâ verâ fiduciâ illud urgere, quod in præsentibus mandatorum suorum (hoc est, Sacrarum literarum) verbis parùm aut nihil firmamenti habere videat.

2. Quanquam autem hîc non facilè ullam Crypsin admitterem, existimo tamen generalia illa dicta S. Scripturæ (à Deo omnibus proposita, & de quibus illud Servatoris usurpari potest, *Quod vobis dico, omnibus dico*) etsi fortè ad aliquos

quos tunc temporis viventes dicta aut scripta fuerint, modò nullam specificationem ab iis recipiant, posse etiam Auditoribus nostris proponi tanquam ad ipsos directa.

Quomodo constituenda sit Doctrina.

CAPUT IV.

1. CUm axiomata S. Scripturæ non formentur ad exemplar notionis illius, quam de Se & aliis habet Deus, sed illius, quam volens concepit ceu regulam nobis futuram, eáque attemperata menti nostræ logicæque ejusdem directrici enuntietur; Cúm-

Cúmque Axioma ſit diſpoſitio argumenti cum argumento, Syllogiſmus duorum in quæſtione cum tertio, & prout affecta ſint argumenta inter ſe, ita vim ſuam actualiter utrobiq; exhibeant: multùm hîc intererit affectiones argumentorum probè tenere ac perpendere.

2. Textus in ſe conſideratus { axiomaticus, eſt vel ſyllogiſticus.

Si axiomaticus, præmitti poteſt topica analyſis, oſtendendo tum Thema ſive Aliquid, tum argumenta quibus illuſtratur, ídque terminis ad captum Auditorum accommodatis.

3. Axi-

3. Axioma (ſive ſimplex, ſive compoſitum) vel unicum eſt, vel plura in ſe continet. Si unicum, nihil ultrà opus eſt, niſi ut ſtatim tractetur. Sin plura in ſe continet, tunc illa ſigillatim ſunt (ut ita dicam) evocanda & collocanda, hoc primo, hoc ſecundo, hoc tertio loco, & deinceps ſecundùm naturæ ſuæ ordinem.

4. Ordo autem iſte non eſt ex verborum ſerie ſpectandus (utpote cui ſæpenumero contrarius eſt,) ſed ex rerum ipſarum naturis. In quibus ipſis etiam æſtimandis cauto opus eſt. Axioma illud [*Omnem cauſam eſſe naturâ priorem ſuo effecto*] utut verum eſt, poteſt hîc

erroris

erroris occasionem præbere propterea quòd sicut id quod est causa, est, antequam sit causa, ità & illud, cujus est causa, considerari potest in abstractâ notione, antequam consideretur in relatione ad illam causam in speciali & distinctâ notione. Imò fortè effectum concipi potest sub notione subjecti, & causa tanquam adjunctum circa illud occupatum. Exempli gratiâ [*Per eum condita sunt omnia.*] 1. *Omnia condita sunt.* 2. *Per eum.* Quinimò quanquam τὸ ὄν sit prius quàm τὸ ποιὸν, subjectum prius quàm adjunctum: tamen si adjunctum in suâ concretione contineat argumenta,

quæ

quæ ex ſe completum ſenſum efficiant & ſpecificationem accipiant à ſubjecto; priùs ordine tractandum eſt. Ex. gr. [*Nobis Filius natus eſt.*] 1. *Natus eſt Filius.* 2. *Nobis.*

5. Verùm ſi axiomata in ſe conſideremus, non difficile erit invenire ordinem. Id enim primum, quod ſimpliciſſimum & generaliſsimũ, quódque à cæteris non pendet, cætera autem ab ipſo. Similiter id ſecundum, quod immediatè à primo pendet, & reliqua ab ipſo, &c. Si qua ſint collateralia, perinde eſt ad Methodum, ſive hoc ſive illud priùs tractetur. Commodius tamen erit verborum ordinem ſequi,

& quod legenti ſe primum offert, primùm in manus ſumere.

6. In partibus cujuſque axiomatis poteſt eſſe aliquid abſolutum, quod Doctrinam contineat. Quod abſolutum eſt in partibus, priùs tractandum eſt, quàm partes conjunctim. Abſolutum concipiendum eſt ſecundùm regulam ſui generis. *Act.* 27. 23. [*Angelus Dei, Cujus ſum, & Quem colo, adſtitit mihi, &c.*] 1. *Apoſtolus profitetur ſe Dei eſſe.* 2. *Se Deum colere.* 3. *Se & Dei eſſe, & Ipſum colere.* 4. *Angelum Dei, Cujus ſe eſſe, & Quem colere profitetur, adſtitiſſe ſibi illâ nocte.* Tria prima dico Abſoluta in Antecedente

cedente. Sic in Consequente. *Mat.*1.21. [*Ipse salvum faciet populum suum à peccatis suis.*] 1. *Sunt populo ejus peccata sua.* 2. *Ipse salvum faciet, &c.* 3. Relativa consideratio in [,8] *Quia hoc faciet, vocabis nomen ejus Jesum.*

7. Si propter influxum artium posteriorum (scil. Grammaticæ, Rhetoricæ, &c.) in Textum, Logica non potest immediatè examinari; tunc primo loco verba denudanda sunt illis artibus per generalem aliquam explicationem, & sensus planus faciendus, atque ità ad Logicam analysin, & axiomatum assignationem via munienda, ut appareant ibi inesse.

8. Si ſimplicia veniant ſub ſpecie comparatorum (ut *Eccl.* 5. 1. *Epheſ.* 5. 11.) aut comparata ſub ſpecie ſimplicium (ut *Proverb.* 8. 10. *Mat.* 9. 13.) aut alîus generis comparatorum quàm nota præ ſe fert (ut *Heb.* 12. 24.) Logicæ eſt proponere axioma pronuntians uti res eſt. Vide exemplum Cap. 7. ſect. 4. & 9.

9. Si in prædictis artibus involvatur aliquid ſpectans ad partem quampiam axiomatis; conjungi poteſt cum illâ parte, ad quam ſpectat, ad conſtituendum axioma. Vide exemplum ſect. 16. Si ad totum (ut in figuris ſententiarum;) id ipſum, quod ſic ſu-

per-

peradditur, axioma efficiet proponendum tractandúmq; poſt illud, cui annexum eſt. Proverb.15.23. [*Verbum in tempore ſuo quàm bonum!*] 1. *Eſt bonum.* 2. *uſque ad admirationem, etiam Solomonis.*

10. Si autem inde fit ut eſſentiale aliquid deſit, id quidem ex uſu phraſeos, & ſcopo illius & ſimilium locorum ſupplendum eſt, aſtipulante etiam fidei analogiâ, *Luc.*13.9. *Et ſi quidem fecerit fructum.* [ſcil. *fines*, aut tale quid.]

11. Si explicatio notionis alicujus in axiomate jam conſtituto neceſſariò multiplicet axiomata, eáque tractanda: notio illa imprimis explican-

da est, axiomata elicienda, eorúmque tractatio secundùm Methodum præscriptam instituenda. Ex.gr. 2 *Tim.* 3. 16. *Scriptura utilis est* πρὸς ἐπανόρθωσιν, *ad rectificationem.* Cor hominis dupliciter potest esse irregulare, sive à recto & regulâ suâ aberrans; viz. vel per exaltationem supra regulam, vel per dejectionem infra eam: adeóque utrovis modo rectificatione potest indigere; illîc per Reprehensionem, hîc per Consolationem. Hinc 1. *Scriptura utilis est ad Reprehensionem.* 2. *Ad Consolationem.*

12. Si in resolutione unius axiomatis in plura, constructio verborum nonnihil obstare

ſtare videbitur; licebit eam immutare, eodem ſenſu manente. Ex. gr. Hoc [*Deus creavit cœlos*] in hoc [*Cœli creati ſunt à Deo.*]

13. Proverbialia dicta, cùm ſæpenumero ἀντιθετικῶς enuntientur; interdum, ut multa paucis comprehendant, ſatis habent aliquid in alterâ tantùm ſui parte exprimere, in alterâ vi ἀντιθέσεως ſubintelligendum relinquere. Quod quando ita fit, quæ in unâ parte deſunt, ex alterâ ſuppleri poſſunt; ut totius adeò ſententiæ integer atque completus ſenſus colligatur. Quoniam autem quæ ita ſupplentur, non adeò manifeſtè in Textu con-

tinentur atque ea quæ exprimuntur; idcirco possunt, vel tanquam Usus inferri, vel, si tanquam Doctrinæ, tum & quomodo ex Textu emergant, clarè ostendendum, & non nimis diu iis insistendum. Exempla frequentissima sunt in Proverbiis Solomonis. Sed & alibi in Scripturis multa habentur iis non dissimilia: ut Psalm. 1. ult. *Novit Dominus viam justorum: & via impiorum peribit.* 1. *Dominus novit* (id est, approbat) *viam justorum.* 2. (ex opposito membro) *Ipsa conservabitur*, vel *prosperabitur.* 3. *Deus reprobat viam impiorum* (ex priore membro.) 4. *Ipsa peribit.*

14. In

14. In quibus (ſive proverbiis ſive aliis Scripturæ ſententiis) aliquid in uno membro exegeticum eſt alicujus quod eſt in altero, poſſunt ambo in unum conjungi axioma, ídque tractandum ante utramvis partem axiomatis in quo reperiuntur. Vide exemp. cap. 7. ſect. 4. & cap. 10. ſect. 2.

15. Quæ indefinitè poſita non intendunt generalem veritatem, ſed ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, ſimiliter proponenda & explicanda ſunt.

16. [*Ecce*] præpoſitum dicto Domini ſæpe arguit illam ſententiam dignam eſſe ſpeciali attentione. Atq; hinc Doctrina conſtitui poteſt poſteri-

oris considerationis, juxta regulam sect. 9. f. Exemplum 1 Pet. 2.6. (cujus tamen plena tractatio ad regulas de Comparatis exigenda est) Ubi juxta regulam sect. 9 p. (Apostolo exprimente ver. 4. quod deest) 1. ax. *Christus est lapis in capite anguli.* 2. *Electus & pretiosus.* 3. *Deus posuit Hunc, &c. in Zione.* 4. *Qui credit, &c.* 5. *Hæc omnia speciali attentione sunt dignissima* Ejusdem naturæ videtur esse illud Apostoli [πιστὸς ὁ λόγος] sed semper in rebus magni momenti.

17. Vox חלילה addita sententiæ fortiter negat, & negationi superaddit, ubi à Deo usurpatur, abominationem

rei

rei negatæ; ubi ab homine, unà cum illâ quandoque deprecationem. Idem ferè ſignificat Græcum [Μὴ γένοιτο] Vid. cap. 8. ſect. 17.

18. Ad illud axioma præcipuè adjiciendus eſt animus, in quo maximè ſita eſt vis & ſcopus Textûs. Quæ acceſſoria ſunt, leviori manu impræſentiarum tractari poſſunt. Dabitur enim aliàs locus aptior, ubi ut principalia & præcipua occurrent.

19. Quod ſuprà de ordine axiomatum dixi, utut novum fortaſſe alicui videatur, ejus tamen rationem à me non repoſcet, qui dialecticis vel mediocriter imbutus fuerit; cu-

jus

jus judicium & memoria (ut de Auditoribus taceam) ordinem flagitabunt; quíque hoc modo non ſolùm primam partem diſcurſûs ſui completam in ſe ac à cæteris diſtinctam habebit, ſed etiam in illâ viam ſibi ad ea quæ ſequuntur muniet in prærequiſitis & generalibus eorum. Illud potiùs moneo, reſervandum eſſe cuique axiomati quod ipſi eſt homogeneum; ut tractatio conveniat ordini axiomatum.

20. Quid igitur dicemus de topicâ illâ (ut ita dicam) ratione concionandi, eâque ſæpè juxta ordinem verborum, ubi ſingula argumenta, ſive loci topici, proponuntur

tur tanquam Doctrinæ ſive fundamenta diſcurſûs, præſertim cùm unumquodque aliquam emphaſin præ ſe ferat?

Quanquam non ſum adeò moroſus aut delicatus, quin facilè mihi placeat quævis, modo utilis, Verbi Divini tractandi ratio: tamen quoniam in Methodum inquirere inſtitui, licebit certè de tam uſitatâ methodo aliquid dicere.

Atque illud primum. Si iſtiuſmodi Concionatores id ſolum agerent quod proponere videntur, tota concio, quanta quanta eſſet, nihil aliud eſſet, niſi mera explicatio. Neque enim ulterioris alicu-

jus

jus actûs capaces ſunt nudi illi & ſimplices termini; quippe qui (ut antè diximus) neque veri neque falſi quicquam continere poſſunt. Hujuſmodi autem diſcurſûs neque in Textu fundamentum, neque Auditoribus fructus ullus eſſe poteſt. Quoniam enim argumentum in ſe conſideratum ſolummodo affectum eſt ad arguendum; nullúſque eſt actus judicii, niſi ubi argumentum cum argumento diſponitur; impoſsibile eſt ad nudum argumentum probationem aliquam afferri, aut Uſum ex eo inferri.

Secundò, verbum illud emphaticum (ſi quidem ita ſit,

&

& non fallacia τῆς προσῳδίας) reliquum Textum aut partem ejus aliquam secum conjunctam habet in fundamentum illius partis discursûs; sæpe id quod naturâ prius est, quódq; si priùs tractaretur, lucem ei præberet; semper id, sine quo nec sententiam nec sensum absolvit. Unde fit ut discursus ille neque adeò efficax & convictivus sit, (illo siquidem non tractato, quod ad ejus fundamentum requiritur) neque adeò perspicuus & scientificus, illo adhuc celato, quod naturâ prius est, & facem ei præferre debet. Quantum autem utrinque necessitas sumere cogit, ut hoc subsi-

stat

ſtat & eluceat, tantum confuſionis & tautologiæ parietur, dum idem identidem repetitur, ſéque ipſo prius & poſterius efficitur. Durius hoc videtur, cùm in axiomate conſtante ex adjuncto occupato & ſubjecto (cujuſmodi multa ſunt in Scripturis) adjunctum, quod aliquando impiè aliis ſubjectis applicabile eſt, priore loco tractatur; cùm tamen ſpecificationem accipiat à ſubjecto.

21. Huic malo remedium eſt, ſi axioma illud (ſive ex duobus, ſive ex pluribus argumentis conſtans) quod naturâ primum eſt, ſenſúmque completum & independentem

tem in ſe continet, ſeligamus, & primo loco conſtituamus; deinde ei adjungamus illud argumentum, quod axioma ordine naturæ proximum efficiat, &c. Neq; de emphaſi metuendum, cui ſatis conſuli poteſt in tractatione axiomatis; ita ſcilicet, ut quæque emphaſis ſuam habeat debitam explicationem & probationem, Uſúſq; ità inferantur & diſponantur, prout ex hac aut illâ emphaſi principaliùs fluxerint. Quod tum demum maturè fieri poterit, cùm totũ fundamentum clarè explicatum & probatum fuerit. Tunc enim in totius vigore urgeri poſſunt abſq; ullâ tautologiâ aut confuſione.

Crypſis.

22. Ante ullius Doctrinæ conſtitutionem præmitti poteſt univerſi Textûs explicatio, & (ſi opus fuerit) à pravis expoſitionibus vindicatio: utputà ſi præcipuus aliquis Textus ſit, quo abuti ſolent adverſarii veritatis ad ſua dogmata ſtabilienda.

23. Duo pluráve axiomata in unum conjungi poſſunt, cùm aut ſterilitas axiomatum, aut idem ferè ſenſus aliis atq; aliis verbis expreſſus, aut feſtinatio Concionatoris (ſive ad exitum, ſive ad locum aliquem præcipuum properantis,) aut ejuſmodi aliqua cauſa flagitaverit.

24. U-

24. Unum axioma ῥητῶς in Textu contentum poteſt ex alio, tanquam Uſus ex Doctrinâ inferri: ut 1 Pet. 5. 7. *Omnem ſolicitudinem veſtram projicientes in Eum, quoniam Ipſi cura eſt de vobis.* Ax. 1. *Deo cura eſt de vobis.* 2. Uſus hortationis, *Omnem ſolicitudinem veſtram projicite in Eum.* 3. Relativum axioma (viz. *Quoniam curat, ideò projicite*) fieri poteſt motivum in illâ hortatione. Similiter axioma in Textu converti poteſt in Uſum alterius axiomatis præcedentis. Ut Pſal. 42. 3. Ax. 1. *Deus eſt Deus vivens.* Hortatio, *Anima noſtra (cum illâ Davidis) ſitiens ſit Dei viventis.*

25. Si plura axiomata con-

jun-

jungantur, liberum erit vel ſummatim, vel diſtincto reſpectu ad ſingula conſiderare. Uſus autem breviter fieri poteſt eorum, quæ minùs eſſentialia ſunt principali ſcopo: Quæ autem præcipuè intenta ſunt, latiùs perſequenda.

26. In verſibus illis, quæ habent [*Sic dicit Dominus*] aut juramentum ejus, &c. axiomata, quæ in re teſtatâ continentur, proponi poſſunt, Teſtíſq; ea aſſeverans adduci in τῷ ὅτι, & Is ita explicari, ut etiam vis probationis inde appareat, utputà à nomine יהוה צבאות, יהוה אני הוא *dicit Dominus*, &c.

27. Quæ habent [*Ecce*] aliquando

quando ita proponi poſſunt, ut axioma, quod τὸ *Ecce* deberet præcedentibus, ad quæ ſpectat, ſuperaddere, ſit quaſi vinculum connectens Uſus Doctrinæ. Ecce hoc ad Inſtructionem, ad Redargutionem, &c.

28. Si quis (ut in tranſmarinis Eccleſiis ferè mos eſt) longiorem Textum ſibi ſumere velit, poteſt eum per analyſin in partes tribuere, eaſdémq; vel ſigillatim vel conjunctim, tum explicatione tum paraphraſi aliquâ illuſtrare, deinde ſeligere præcipuum cujuſq; partis axioma, aut plurium ſummam in unum reducere, atque ſecundùm primum membrum ſecundæ gene-

generalis Crypſeos accommodare eorum tractationem ad tempus, &c.

29. Si in conſtituendis alicujus longioris ſententiæ axiomatis naturæ ordo ordinem verborum nimiùm turbabit; præmitti poteſt levior aliqua diſtributio, quâ incommodo illi occurratur: percurſis autem ſingulis partibus plenus totius periodi ſenſus exprimi poteſt.

De Axiomatis in ſpecie.

CAPUT V.

1. SImplex axioma quantum latè patet reſpectu argumentorum quæ in eo diſponi

diſponi poſſunt, tamen (ſi modo Crypſes & obliquæ prædicationes aptâ explicatione declaratæ fuerint) facilis eſt, quod ad Doctrinæ conſtitutionem, judicii, propter directam partium unionem; ſive unicum ſit, ſive plura in ſe contineat: niſi quando compoſitio aliqua eſt ſive in antecedente ſive in conſequente.

2. Si antecedens ſit copulatarum partium (ità ut conſequens de omnibus tantùm unitis, non de ſingulis ſeorſim enuntietur, alioqui enim axioma eſt copulati judicii;) eæq; ſeparatam tractationem poſtulaverint: poſſunt ſingulæ ſeor-

seorsim proponi in totidem axiomatis cum respectu ad consequens, (viz. in bono, ut requisitæ ad illud; in malo, ut tendentes) & postea consequens de omnibus simul sumptis enuntiari. Ex. gr. [*Beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.*] 1. *Requiritur ad beatitudinem ut audiamus verbum Dei.* 2. *ut custodiamus.* 3. *Qui utrumque faciunt, beati sunt.* Vide simile in largâ compositione sect. 5.

3. Similiter si in consequente sit copulatio (ita ut partes copulatæ non seorsim sed simul sumptæ de antecedente enuntientur) idem est de eo atque de priore judicium.

um. Vide exempl. cap. 6. ſect. 3. ex Matth. 17.

4. Modales, quas vocant, propoſitiones (ſi ſenſu, quo Logici uſurpant, in Scripturis occurrant) ad ſimplex axioma referri poſſunt: Inque his modus conſtituit conſequens, ſubſtantiâ axiomatis in antecedens contractâ. Hi modi nihil aliud ſunt, quàm affectiones axiomatis in genere (quod, ut verum, contingens vel neceſſarium; ut falſum, poſsibile vel impoſsibile eſt) & ex affectione argumentorum & modo diſpoſitionis intelliguntur.

5. Quanquam ubi verbum [*Eſt*] eſt merè ſyncategorematicum,

ticum, & utraque pars, aut altera reſpectu alterius, implicat negationem ad eſſe reale (ut in fictis, privativis nonnullis, & contradicentibus) ibi neutra pars cum [*Eſt*] categorematicè ſumpto conſtituet Divinum axioma; Et quanquam ubi ratione naturæ partium & affectionis ad invicem axioma conſtitui poteſt, videtur potiùs per deductionem quàm expreſsè ibi contineri: Tamen, ſi res ita feret, & illius axiomatis explicatio tractatióq; per modum Uſûs non ſufficiet, quin reſpectus, quem illa notio habet ad aliam aliquam in Textu, aut juſta aliqua cauſa poſtulet u

ſepa

ſeparatim aliquatenus tractetur; licebit ipſum, vel in parte integrâ vel in partis particulâ aliquando, ſed rarò, proponere, &, quatenus opus erit, perſequi. Pſalm. 1. Conſequens [*Beatus*] enunciatur de Antecedente conſtante ex partibus diſcretis, in cujus utrâque parte copulatio, in priore triplex climax. Illud axioma (niſi fortè vox, *pius*, ſuppleri poteſt ad Antecedens ex antitheſi *verſ.* 4.) tractari poteſt ſecundùm regulam traditam ſecundâ ſectione hujus capitis; primò prior pars Antecedentis, tum poſterior, deinde diſcretio; poſtremò Conſequens iis, ut conjunctis, ap-

plicandum. Singulæ partes prioris, & primò id quod absolutum est, pòst cum Consequente. Ex. gr. *Est suum improbis consilium. Requiritur ad beatitudinem non ambulare in eorum consilio. Est sua peccatoribus via. Requiritur ad beatitudinem non stare in eorum viâ. Est sua derisoribus cathedra. Requiritur ad beatitudinem non desidere in eorum cathedrâ.* Tum copulatio, *Requiritur ad beatitudinem, ut neq; ambulemus in consilio improborum, neque stemus, &c. neque desidea-mus, &c.* Ex hoc axiomate climax per modum Usûs observari potest. Quòd si iste tractandi modus non suffecerit possumus ulteriùs progredi

ho

hoc modo, *Sunt improbi. Sunt peccatores. Sunt deriſores. Sunt illi, iſti, & hi.* Et ſic in reliquis duobus: ſed abſtractè, ne ſolida axiomata antevertantur.

De Compoſito axiomate.

CAPUT VI.

1. QUanquam in Compoſito axiomate vis unitiva partium ut plurimùm explicat ſe in conjunctione grammaticâ: cùm tamen conjunctiones grammaticæ laxè & vario ſenſu uſurpentur, tam in linguis originalibus, quibus traditæ ſunt Scripturæ, quàm in iis, in quas

transferuntur; non nimis inhærendum est symbolis istis, sed affectiones argumentorum, quæ illîc disponuntur, & regulæ judicandi quodvis axioma imprimis spectandæ sunt.

2. Si partes Compositi contineant in se aliquid absolutum (de quo vide cap. 4. sect. 6.) & ipsæ requirant distinctam tractationem (quam Connexum præcisè sumptum & Disjunctum non admittunt) id quod absolutum est in consequente quandoque reservari potest donec eò perveniatur. Joh. 8. 18. Antecedens, *Ego sum is, qui testor de Me.* Absolutum in consequente, *Pater*

Pater misit Me. Consequens, *Pater, qui misit Me, testatur de Me.* Conjunctæ, *Et Ego & Pater, &c.* Vid. cap. 7. sect. 1.

3. Axiomata exclusiva & exceptiva (quæ sæpè occurrunt in Scripturis, &, quod ad rem attinet, parùm aut nihil inter se differunt) utut faciem simplicium habere videantur, quia tamen revera semper compositionem implicant, ideò, si plenè tractandæ sunt, ad Compositum axioma referri debent. Resolvunt autem se in bina axiomata, quorum unum affirmatè, alterum negatè enuntiandum. Utque affirmatio est prior negatione, sic quod affirmatè enuntiatur

priorem locum in tractatione hîc sibi vendicat. Exclusivum in antecedente, 2 Tim. 4.11. *Solus* (vel *solummodo*) *Lucas mecum est.* q.d. *Et Lucas mecum est, & alii ex discipulis non sunt mecum.* In consequente, Mat. 4. 10. *Illi soli servies*; id est, *Et Illi latriam exhibebis, & alteri non exhibebis.* Eodem sensu diceretur, *Non servies præterquam Illi.* Exceptivum in antecedente, Act. 8.1. *Omnes dispersi sunt, &c. præter Apostolos. Reliqui dispersi sunt. Apostoli non sunt dispersi.* In consequente, Mat. 17.21. *Hoc genus non exit, nisi per precationem & jejunium.* 1. *Exit per precationem & jejunium.* 2. *Aliàs non exit.* Prius axio-

axioma tractandum est juxta regulam cap. 5. sect. 3. *Precatio requiritur ut hoc exeat. 2. Jejunium requiritur. 3. Per utrumque exit.* Aliquando majoris evidentiæ gratiâ exprimitur tam affirmatum quàm negatum. Ut in Exceptivo, Deuter. 4. 35. *Dominus Ipse est Deus, & non est ampliùs præter Ipsum.* Idem significatur in Exclusivis per geminationem subjecti, הוא לבדו, אתה לבדך, אני לבדי &c. (quæ LXX. sæpe reddunt per μονώτατος, ut 2. Sam. 17. 2. 1 Reg. 8. 39. &c.) Aliquando Exclusivum simul ponitur cum Exceptivo: ut 2 Re. 17. 18, &c. Sic Lu. 5. 21, &c. In Exclusivo affirmato, nota addit negatum: in ne-

gato, per duplicem negationem, affirmatum. In Exceptivo affirmato, nota ponit negatum: in negato, affirmatum.

4. Comparata etsi non rarò disponantur in axiomate simplici: quoniam tamen sufficienter tractari vix possunt, nisi partibus pleniùs distinguantur, & sic ad Compositum axioma (quò plenæ comparationes spectant) referantur; de iis aliquid hoc loco præmonendum videtur.

5. Ubi omnis { quantitate / qualitate } comparatio dicitur esse vel in, notandum est, hos terminos largè & logicè sumi.

6. Quan-

6. Quando relatio quantitatis vel qualitatis dicitur conjunctio, ſeu vim partium unitivam continere; intelligitur nihilominus ſuperaddere etiam ſuam peculiarem vim declarandi naturam comparationis.

7. Nota comparationis, quæ adjungitur Redditioni, præcipua eſt; ut præcipuum eſt τὸ Aliquid in axiomate, & cujus ergô argumentum adhibetur.

8. Notæ etiam grammaticæ comparatorum quandoq; non diſtinguunt ſpeciem unam ab aliâ. Vide exemp. cap. 7. ſect 9. Quandoque non apponuntur. Cap. 7. ſect. 4. & 7.

9. Gra-

9. Gradus comparativus non ſemper arguit poſitivum in utrovis, ſed minorem participationem de oppoſito: ut Ezech. 16. 52. Lam. 4. 9. Vide exempl. cap. 7. ſect. 4. f.

10. In tractatione Comparatorum (ſive quantitas aut qualitas exprimatur in Textu, ſive non) utile erit quandoq; illis reſpectibus, in quibus conveniunt, (ut in Paribus & Similibus) præmittere vel addere eos, in quibus non conveniunt; & illis, in quibus non conveniunt, (ut in Imparibus & Diſsimilibus) præmittere vel addere eos, in quibus conveniunt. Præſertim in Similibus hoc obſervandum; ne ultra

tra ſcopum extendantur, quod ſæpè, & periculoſè fit. Sic & illuſtrabitur comparatio, & vitabitur detorſio in malum ſenſum Vid. exempl. in illimitatâ, ſect. 13.

11. Si comparatio limitata ſit quoad reſpectum, in quo inſtituitur, ſive à Textu ſive à contextu; (licèt fortè alibi Scripturarum alii reſpectus manifeſtentur) ille ſolus tractetur, & reliqui ſuis locis reſerventur: cùm ſufficiat præſentis Textûs intentioni ſatisfeciſſe.

12. Si illimitata ſit, & plures reſpectus homogenei & utiles afferri poſſunt; (quoniam Scriptura in latitudine ſumen-

ſumenda eſt, ſi nec à contextu nec ab analogiâ fidei aut veritatis reſtringatur) rectè afferentur.

13. Reſpectus in illimitatâ comparatione (ſive ſit unus, ſive multiplex) explicatione ex habitudine argumenti ad τὸ Aliquid eruendus eſt; & ſic conſtituenda Doctrina, una ex uno, plures ex pluribus. Ubi reſpectus, ut fundatus in Argumento (quod Auditoribus notius & illuſtrius) notus & illuſtris eſſe debet; ut applicatus τῷ Aliquid, certus & firmæ veritatis: Hinc enim pendent Doctrinæ uſus & efficacia. Gen. 15. 1. *Ego tibi clypeus.* Ax. *Ut clypeus protegit ho-*

hominem eo rectè utentem, ſic Deus fidelem Abrahamum. Hîc *protectio* eſt reſpectus, notus ex uſu clypei, certus ex authoritate Divinæ promiſſionis, Gen. 11. 34, 35. Ad ulteriorem explicationem axiomatis, reſpectus, in quibus differunt hæc comparata, oſtendi poſſunt. Clypeus eſt inſtrumentalis cauſa protectionis; Deus ſaltem principalis. Clypeus defendit adverſùs hoſtem à fronte petentem; Deus eſt clypeus סביב לעמו *in circuitu populi ſui*, Pſal. 125. 2. Clypeus non ſemper adeſt; Dominus autem in circuitu populi ſui מעתה ועד עולם *ex hoc nunc & uſque in ſeculum*, ibid.

Cly-

Clypeus defendit adversùs hoſtem corporalem tantùm, non ſpiritualem; Deus adverſùs omnes, &c.

14. Nullus verò locus inventionis magis obnoxius eſt detorſioni ad peſsimos ſenſus ſubinferendos, quàm iſte Comparatorum, & præſertim Similium: nullus faciliùs ducit popellum (atque utinam non multos etiam duces eorum!) in foveam: nullus frequentiùs adhiberi ſolet tum ad opprimendam veritatem tum ad errores ſtabiliendos. Magnâ igitur hîc opus eſt cautione, præſertim in aſſignandis reſpectibus illimitatæ comparationis. Hanc unam

nam legem, ceu Medorum & Perſarum, obſervari optaverim, ut ſaltem Redditio (in quâ τὸ Aliquid continetur) ſolidè, & ex manifeſtis Sacræ Scripturæ locis probetur. Eâdem cautione opus eſt iis in locis, ubi Redditio confuſè ponitur, & Propoſitio pluribus partibus explicatur; ut in multis parabolis Evangelicis. Atque etiam ubi nulla Redditio ponitur; ut ſæpè fit. Illa propoſitio Exod. 12. 46. videtur caruiſſe Redditione, donec eventus & Apoſtolus declararent, Joh. 19. 36. Sic illa Hoſ 11. 1. Hanc cautionem ſi Theologi etiam comparationibus, quas in rebus magni mo-

momenti ad fidem aut mores afferunt, ſolicitè adhiberent; plus dapis cœleſtis, & rixæ minus haberemus.

15. Comparata in quantitate preſsiùs & diſtinctiùs arguere ſolent, quàm quæ in qualitate. Vid. cap. 7. ſect. 5.

16. Comparata ficta, ſi diſponantur in Compoſito quod veritatem partium requirit, ſub iſtâ judicii regulâ non cadunt. Vide cap. 3. ſect. 1. Diſtinctio tamen aliqua in fictis adhiberi poteſt. Quædam enim merè ficta ſunt: Quædam ex communi uſu deſumpta; quæ licèt hiſtoriam aliquam ſingularem non attingant, neque ad hîc & nunc

nunc determinentur, veritatem tamen indefinitam in ſe continent, adeóque, ſi opus ſit, axiomata ex illis fieri poſſunt, cum reſtrictione proponenda, & breviter percurrenda. Luc. 18. *Eſt quandoque in urbe judex, qui nec Deum timet, nec hominem reveretur. Vidua quandoque injuriâ afficitur ab adverſario. Affecta ſolet eſſe querula & importuna apud judicem. Injuſtus judex aliquando juſtitiam exercebit erga viduam ad vitandam moleſtiam importunitatis.*

17. Si comparatio obiter aut non principaliter occurrat in ſententiâ aliquâ; poteſt tractari leviùs, & ſubordinatè ad

ad principalia axiomata: ut Rom. 13.5. *Quapropter neceſſe eſt ſubjici, &c.* In hoc Textu τὸ Aliquid, *ſubjectio* (cujus, è primo verſu ejuſdem capitis, ſupple ſubjectum cum generalitate, & objectum perſonæ) diſponitur cum adjunctâ *neceſſitate*, quæ arguitur à duabus cauſis comparatis inter ſe in quantitate inæquali ſub notis [*non ſolùm, ſed etiam.*] Axiomata in Textu tractanda. 1. *Omnem animam ſubjici ſuperimenenti poteſtati eſt neceſſarium.* 2. *Propter iram ſubjici eſt neceſſarium.* 3. *Propter conſcientiam, &c.* 4. *Magis propter conſcientiam, quàm propter iram.* 5. (Ex relativâ conſideratione

ne in illativâ notâ, *Quapropter*, conjungente hæc verba cum præcedentibus) *Quoniam supereminens potestas est vindex ad iram, & minister Dei, idque omnium bono; ideo subjici &c. est necessarium.*

De Copulato.

CAPUT VII.

1. CUm axioma copulatum constet ex partibus quasi collateralibus, ità ut una non pendeat ab aliâ; uniuscujusque in se veritas requiritur, & per copulationem earum fit, ut si una sit falsa, totum axioma judicetur falsum. Hinc fit, ut partes sepa-

ſeparatim proponi poſsint, ceu Doctrinæ; dein ut unitæ. Vide exemp. Copulati affirmati ex partibus affirmatis ca.6.ſect.2.Ex negatis Mat.23. 13. *Vos non introitis.2. Non ſinitis, &c.* 3. *Neque introitis, neque ſinitis, &c.* Ex alterâ affirmatâ,alterâ negatâ Prov.10. 22. 1. *Benedictio Domini ditat.* 2 *Non addit moleſtiam cum illâ.* 3. *Et ditat, & non addit, &c.*

2. Plurima comparata ad hoc axioma referenda ſunt; modò declarativè uſurpentur, ubi non ſuſpenditur ſententia, ſeu intenditur illatio unius comparati ex alio. Ad comparata in quantitate ſpectant etiam relationes loci, &

tem-

temporis, eâdem lege. Exemplum parium 2 Cor. 11. 22. *Hebræi sunt? Et ego, &c.* Quasi respondens patronis pseudo-apostolorum privilegia eorum jactantibus, *Sunt Hebræi: Et ego non minùs quàm illi*, seu, *pariter ac illi.*

3. Quando ex Textu & contextu apparet intendi comparationem parium; etiamsi exprimatur sub specie connexi ex partibus impossibilibus, erit tamen judicii copulati, & contradictoria partium falsarum constituent partes comparationis. Jer. 31. 36, 37. Deus & ante & post istos versus exprimit firmitatem federis sui cum posteris Abrahæ,

hæ, & contrarium ſuſpendit ab impoſsibili ſuppoſitione in his duobus verſibus. Axiomata igitur ſunt verſ. 36. *Non amovebuntur ſtatuta iſta à conſpectu meo. Semen Iſraël non &c. Non magìs hoc quàm illud.* Sic ver. 37. Antecedens, *Cœli non poſſunt menſurari ſupernè, aut terra infernè* (ſcil. ab hominibus.) In conſequente, 1. Abſolutum, *Multa mala fecerunt.* 2. *Non ſpernam totum ſemen Iſraëlis.* 3. *Non propter omnia, quæ fecerunt,* vel (quia diſcretio ſubintelligitur) *Quanquam multa mala fecerunt, tamen non ſpernam totum, &c.* Denique ex partibus unitis, *Non magìs hoc quàm illud.*

4. Im-

4. Imparia etiam huc ſpectant. Proverb. 17. 12. *Occurrat urſa orba in virum, &c.* 1. *Malum eſt urſam orbam occurrere in virum.* 2. *Malum eſt ſtultum in ſtultitiâ ſuâ occurrere in virum.* 3. *Majus malum hoc quàm illud.* In tertio axiomate explicandus eſt exceſſus mali in hoc præ illo. 2 Pet. 2. 21. *Melius fuiſſet eis non cognoviſſe viam juſtitiæ, quàm, cognitâ illâ, regredi à ſancto præcepto, &c.* 1. *Præceptum Dei eſt ſanctum.* 2. *Sanctum præceptum eſt via juſtitiæ.* 3. *Habere ſanctum præceptum traditum ſibi, eſt nôſſe viam juſtitiæ.* Hæc tria axiomata non ſpectant ad comparationem exprimendam. De

primo vide regulam cap. 4. ſect. 6. & de duobus poſterioribus cap. 4. ſect. 14. Partes autem comparationis ſunt, 1. *Viam juſtitiæ non cognoviſſe*, ſeu, *ſanctum præceptum non habuiſſe ſibi traditum, fuiſſet eis malum.* 2. *Regredi à viâ cognitâ, ſeu à præcepto tradito, eſt malum.* 3. *Minus malum illud quàm hoc.*

5. Similia. Ubi quantitas intenditur, ſed non viſum eſt eam diſtinctè arguere, tranſitur quandoque in ſimilitudinem, & qualitas quantitatis exprimitur: ut Gen. 15. 5. Innumerabilitas. *Deinde eduxit eum & dixit, Intuere nunc cœlum verſus, &c.* Ubi protaſis [*Stellæ non poſſunt numerari*] probatur

batur condescensu ad modum humani testimonii ab experientiâ; [*Intuere & numera, si poteris*] id est, expertus non potes. Apodosis, *Semen tuum erit innumerabile.* Nota comparationis superaddens copulationem similitudinem [*Sic erit, &c.*] probatur testimonio Divino [*Dicit Dominus.*] Axiomata. 1. *Non potes numerare stellas.* 2. *Testor experientiam tuam.* 3. *Semen tuum non poterit numerari.* 4. Ut *non stellæ, sic neque semen tuum.* (Respectus in qualitate, *Sic*, id est, 1. *præ multitudine.* 2. *Conspicuè.* 3. *Hominibus numerandi peritis & expertis erit innumerabile, ut stellæ nunc tibi.*) 5. *Dicit Dominus sic futu-*

futurum. 6. *Deus eduxit Abrahamum.* 7. *Dixit, &c.* 8. *Postquam promisisset hæredem è visceribus ipsius, eduxit & dixit, &c.*

6. Mat. 13. 45, 46. [*Simile est regnum cœlorum, &c.*] Hæc verba continent Redditionem sed confusè positam: sequentia Propositionem in Mercatore cum ejus objecto & actionibus distinctè explicatam. Quanquam autem Redditio conjungatur cum unico argumento Propositionis (ubi dicitur, *simile Mercatori*:) intelligitur tamen referri ad integram Propositionem, & virtualiter involvere partes partibus ejus analogas. Sic ver-

24. *Simile eſt regnum cœlorum ſerenti bonum ſemen in agro ſuo.* Ubi, Servatore noſtro interprete, Ipſe eſt Serens, Et reliquis partibus applicantur quæ in regno (licèt non omnia de regno:) Tantùm ſervis zelotis nihil accommodat; acſi nollet miniſtros hæreticidio ſtudentes ſub Evangelio nominari. Rectè monet Caſtellio in Mat.11.16. *Tota res, non unum verbum, confertur; ut in aliis parabolis.* Ex hac Protaſi formari poſſent axiomata, ſi opus eſſet; viz. *Mercatores ſolere attentè quærere res hujus mundi: Induſtriam ſuam ipſis quandoque bene cedere, inveniendo rem magni pretii: Plerumque*

ſatis aſtutos eſſe vendendo omnia ſua ob majus lucrum, emendo quod maximum commodum afferat, &c.
De his vide cap. 6. ſect. 16.
Propria axiomata Textûs: *Sicut Mercator, qui quærit margaritas; ſic τεταγμένοι in Evangelio quærunt ſolida bona.* Ut *Mercator, qui invenit unam margaritam magni pretii; ſic hi quærendo inveniunt vitam æternam in promiſſione Evangelii.* Ut *ille vendit omnia quæ habet, ad illam emendam; ſic hi ſeipſos negant, ut hanc obtineant.* Ut *ille emit eam; ſic hi obſervando conditiones federis Evangelici, quibus promiſſum annectitur (Deo propter Chriſtum miſerante) hanc obtinent.*

7. Diſ-

7. Diſsimilia, etiam ſine notâ, (cujuſmodi multa ſunt in Proverbiis *Solomonis* & alibi) huc ſpectare videntur. Tralatores aliquando in his Hebræum [ו] reddunt per Copulativam; ſæpe per [*ſed*] quaſi ad indicandam diſsimilitudinem. Rectè verò copulantur, quatenus utrumque diſsimile cum ſuâ qualitate enuntiatur: conveniunt enim in hoc, quòd utrumque habeat ſuam qualitatem ſecum diſpoſitam. Proverb. 14. 29. *Longanimis multus intelligentiâ: & brevis ſpiritu exaltat ſtultitiam.* Ubi juxta regulam cap. 4. ſect. 13. utrique parti ex alterâ ſuppleri aliquid poteſt. At-

que ita partes plenè explicatæ ſunt, *Longanimis multus intelligentiâ eſt, & exaltans eam: Brevis ſpiritu multus eſt ſtultitiâ, & exaltans eam.* His tractatis ſuccedat collatio Diſſimilium. Ad cujus explicationem proponi poſſunt, in quibus conveniunt, juxta regulam cap. 6. ſect. 1c. *Uterque multus eſt in qualitate ſuâ. Uterque habet quod exaltat.* Qualitas verò valdè diverſa eſt; cui etiam pondus addunt ea, in quibus ambo conveniunt.

8. In Copulato affirmato & diſcretionem continente ex [*non, & ſed*] videtur plenè enuntiari: ut Pſal. 1. *Et*

pius

pius proſperatur, ut arbor; *Et non ſic impius, ſed infelix eſt, ut gluma, &c.* Ubi utrumque Diſſimile arguitur à ſimili ad majorem illuſtrationem diſſimilitudinis. Vide exempla Diſsimilium plenè diſpoſitorum Joh. 3. 36. & 4. 13, 14. Ubi in primâ parte eſt Protaſis, in ſecundâ Antapodoſis in qualitatis { ſimilis negatione, diverſæ poſitione.

9. Hebr. 12.24. [*Melius*] licèt valdè largè ſumatur, pro multiplici ratione boni; non videtur tamen hîc exponi poſſe de Imparibus, ſed Diſsimilibus [——*Sanguinem*

aſperſionis meliora loquentem, quàm Abelis] *Meliora*, id eſt, *aliud*, vel *aliter*. Nimirum *ſanguis aſperſionis loquitur bona; ſanguis Abelis non bona.* Vid. ca. 4. ſect. 8. Protaſi ſuppleri poteſt (eſt enim comparatio illimitata) ex hiſtoriâ Gen. 4.

Sanguis Abelis loquebatur { *apud Deum vindictam*, *Caino horrorem.*

Antapodoſi ex Apoſtolo, *Sanguis Chriſti loquitur* { *apud Deum propitiationem*, *fidelibus corda eo aſperſis, pacem.*

Ad ulteriorem explicationem afferri poſſunt reſpectus, in quibus conveniunt (juxta regulam cap. 6. ſect. 10.) 1. U-

tri-

triusque sanguis injustè effusus est. 2. *Utriusque sanguis loquitur.* Partium separata tractatio hîc omitti potest, ut quæ non sint expressæ in Textu. Et, ubi sunt, plenè tractari possunt: hîc autem satìs in collatione. Axiomata in collatione. 1. *Et sanguis Abelis per se vindictam apud Deum loquitur; & longè aliter sanguis Christi per se loquitur propitiationem apud Deum pro omnibus factam.* 2. *Sanguis Abelis Caino horrorem loquitur; Christi verò omnibus, eo corda per fidem aspersis, pacem.*

De Copulato negato.

10. Comparata, quorum nota est negatio oppositæ speciei, videri possent disponi in Copulato negato. Et nota quidem indicat illîc talia subesse argumenta. Non tamen plenè & distinctè in illo axiomate enuntiantur. Negatio enim vel optimè notans terminat se in indicatione generis, & rejectione oppositæ speciei; unde sequitur, alteram illîc disponi, sed in conceptu confuso. Neque semper certa est nota: Ut, negatio majoris non infert paritatem agnitam. Joh. 4.12. & 8.53. & 13.16.

11. Dis-

11. Diſsimilia ex negatione ſimilitudinis (etiam partibus plenè diſtinctæ) non poſſunt plenè contineri iſto Copulato negato: Quia præter negationem proportionis inter ſimilia requiritur poſitio diverſæ qualitatis.

12. Copulatum confuſiùs negatur, quoad partes, quando vinculum directè negatur; nec videtur (exceptis quæ abſoluta ſunt) axiomata ſeipſo plura continere: niſi putemus ex prudentiâ loquentis quandoque ſubinnui. Ut [*Non poteſtis ſervire Deo & Mammonæ.*] *Poteſtis Illi. Poteſtis huic. Non poteſtis utrique ſimul.* Vid. cap. 8. ſect. 9.

13. Co-

13. Copulatum ex unâ parte falsâ clariùs negatur, quoad partes, per Discretum: ita enim distinctè exprimitur quæ pars sit vera, quæ falsa.

14. Copulatum ex utrâque parte affirmatâ & falsâ, negatur consequenter, tollendo partes per Copulatum ex negatis partibus. Act. 25. 8. Copulatum ex utrâque parte negatâ & falsâ, contrá. Isa. 47. 19.

Crypsis Copulati.

15. Quandoquidem Copulatum ex naturâ suâ non videtur requirere necessariam partium unionem; nec sem-

per

per aliquid (ſaltem magni momenti) intendit tanquam reſultans ex earum unione: idcirco in talibus, axioma, quod ex copulatione oritur, omitti poteſt. Aliàs axioma illud magni momenti eſt, propter authoritatem, per quam partes uniuntur, & neceſsitatem ejus, ad quod in illâ unione collimat.

16. Quoniam in Copulato partes collaterales ſunt; ſi parum aut nihil diſcriminis inter eas ſit, præterquam in verbis, conſequentia partium in unum conjungi poſſunt: Et ſimiliter antecedentia. Prov. 31. 30. *Venuſtas & pulcritudo fallax & vana.* Porrò ſi ejuſ-

ejuſmodi partes ampliùs tali modo illuſtrentur; illa, quibus illuſtrantur, ſimiliter conjungi poſſunt. Pſal. 51. 2. *David dixit* [*peccata mea, iniquitates meas*]. 2. *Petit ablui & mundari ab iis.* 3. *Petit multùm ablui.* 4. *Totum hoc petit à Domino.*

17. In comparatione, ſeparata tractatio Propoſitionis ſæpè omitti poteſt, aut ſaltem breviter perſtringi; ſive ea ficta ſit ad ſimilitudinem hiſtoricam, ſive vera. 1. Quia ſæpè conſtat ex materiâ parùm Theologicâ. 2. Non primariò intenditur in Textu; ſed totus aut præcipuus ejus uſus eſt in applicatione ad Reddi-tionem, ejúſque illuſtratione.

3. No-

3. Notior & illuſtrior eſt Auditoribus, qui per eam docendi ſunt Redditionem. 4. In reflexione Doctrinæ in mentem aut cor Auditoris per Uſus imprimis inculcanda venit. Atque hîc illud Servatoris uſurpare poſſet Concionator, *Audite quid injuſtus Judex dicat.* Luc. 18. Et hortaturus ad ſedulitatem in quærendo ſummo bono ex parabolâ Mercatoris, Attendite ad hujus diligentiam in rebus mundanis, *Impiger extremos currit mercator ad Indos, &c.* Sic ſeparata etiam tractatio Redditionis ſæpè omitti poteſt; quando nempe ſatis tractabitur cum notâ comparationis, ſeu

in

in ipsâ collatione partium. Adeóq; plurimi Textus comparationum plenarum sufficienter exhaurientur, si Propositiò Redditioni, aut pars parti (prout ratio ejus requirit) applicetur, et sic Doctrina constituatur.

De Connexo.

CAPUT VIII.

1. Hîc affirmatio significat, si sit Antecedens, etiam Consequens esse. Adeò ut, licèt nota vel nulla sit vel aliena (ut sæpè usu venit;) si tamen illatio Consequentis ex Antecedente intenditur, hujus esse loci censendum sit axi-

axioma. Ejus veritas consistit in verâ partium connexione; ut vel ex unâ vel utrâque falsâ absolutè verum esse possit: sicut & ex veris falsum, ubi nempe altera non sequitur ex alterâ. Hinc ratione formæ hujus axiomatis præcisè spectatæ non potest ex utrâvis parte constitui Doctrina, etiamsi partes seorsim consideratæ essent veræ; quoniam etiam falsæ consistere possunt cum veritate axiomatis. Absoluta tamen axiomata in partibus esse possunt. In Antecedente Galat. 1. 8. Absolutum est, *Evangelizatum est vobis.* In Consequente, Joh. 8. 55. Absolutum, *Vos estis mendaces.*

daces. Exemplum Connexi, ubi par infertur à pari, 2 Sam. 15. 21. *Vivit Dominus, & vivit dominus meus Rex: Sed in loco* [כי אם במקום] *quo erit dominus meus Rex, ibi etiam erit servus tuus.* Prærupta videtur esse locutio militis festinantis ad fidem exprimendam. q. d. *Non recedam ad Absolomum, ut proponis: sed in loco, &c.* Comparatio est limitata ad binos respectus in Textu; qui cùm sint incompatibiles, disjunctè proponuntur: *Si vel in morte, &c. pariter ego.* Locus in quo, sive conditio Davidis, sive ad mortem, sive ad vitam futura, infert eandem seu parem fore Ittai. Axiomata. 1. *Ittai pro-*

profitetur Regem dominum ſuum, ſe ſervum ejus. 2. *Si in morte erit dominus meus Rex, illîc cum eo erit ſervus tuus.* 3. *Si in vitâ, illîc cum eo erit.* 4. *Utrâcunque in conditione erit Rex, eâdem etiam ipſe erit.* Antecedens infert conſequens vi aſſumptâ quatenus juramento confirmat Ittai, quæ eſſet Regis, eandem fore ſuam conditionem: cujus efficacia perſpicitur ex naturâ iſtius modi Teſtimonii.

2. Eſt tamen Affine Connexo (ubi eſt relatio conſequentiæ) quod veritatem etiam partium requirit, ut ipſum verum ſit: Adeóque axiomata in partibus diſtinctè offert tra-

tractanda, deinde quod ex eorum unione resultat. Quantò verò magis declinat à nudâ connexione, tantò propiùs accedit ad Syllogismi naturam, adeò ut sublatâ causali conjunctione, in Enthymema usitatè se resolvat. Quinetiam integer Syllogismus in hoc axiomate comprehendi potest.

3. Huc spectant notæ causales (etiam quando causa per accidens infert effectum, ut Eccl. 8. 11.) & rationales, si verè notent (quod non semper faciunt, ut Joh. 19. vers. 4, 5, 6, 23, &c.) & quæcunque parem vim obtinent: quarum illæ ad Antecedens, hæ ad Con-

Conſequens pertinent. In utriſque antecedens ſemper continet cauſam conſequentiæ, aliquando conſequentis. Frequens in hoc axiomate eſt Crypſis grammatica, ſeu tranſpoſitio partium. *Si* pro [*cùm*, vel *quandoquidem*] ſæpè ponitur. Luc.11.13. Joh. 10.35. & 13.14,&c. Sæpè nota cauſalis deeſt: ut Pſal.25.8. Aliquando ponitur pro illativâ: ut Pſal.116.10. Sæpè illativa deeſt: ut Pſal. 116. 1. Aliquando utraque: ut Pſal.118. 6. Sæpè tacitè continetur in participio antecedentis: ut 2 Cor.7.1. Maximè ubi participium ſignificat notitiam: ut Γλέποντες, Act. 4. 14. Εἰδότες, Coloſ. 4. 1.

Αχώ-

Ακούοντες, Act.7.54. Γινώσκοντες, Heb.10.34. Μνημονεύοντες, Act. 20.31. Aliquando occurrit cum notâ alienâ : ut Mat.3.14. *Ego opus habeo baptizari à Te, & Tu venis ad me?* q.d. *Cum ego opus habeam baptizari à Te, non video cur* (aut ſimile quid) *Tu venias ad me.*

4. Sæpè antecedens hujus connexi continet id, quod præceſsit, quandoque virtualiter, quandoque formaliter. Si igitur illîc tractatum fuerit à Concionatore, & hîc virtualiter recolligatur ad inferendum conſequens; breviter hîc tractandum eſt, & ſolùm ſecundùm id quod ſuperadditur ex modo recollectionis.

ctionis. 2 Cor. 7. 1. ταύτας ἔχοντες, &c. Sic cap. 4. vers. 1. Utrobique demonstrativum ἐμφατικῶς positum, videtur notare excellentiam, illîc prædictarum promissionum, hîc prædictæ ministrationis. Sin formaliter; solùm consequens & illatio ejus ex antecedente se offerunt: repetitio enim antecedentis, ut nuper tractati, sufficiet. Rom. 8. 17. *Si filii*, (ubi *Si* pro *cùm*) *etiam hæredes*. 1. *Verè fideles* (quorum descriptio in præcedentibus) *sunt hæredes*. 2. *Quia filii, hæredes*.

5. Axioma ex causâ finali (ubi finis sub notâ suâ πλατικῶς sumptâ, aut æquipollente, ponitur ad medium inferen-

dum) huc etiam referri poteſt. Cujuſmodi axioma quia ſæpè occurrit in Scripturâ, aliquid de ejus vi illativâ dicendum videtur. Agens ſecundùm rationem intuetur finem ſub ratione convenientis. Optat, ſeu velleitate quadam deſiderat. Hoc deſiderium excitat ad inquirendum, an media ſint, per quæ obtineri poſsit. Poſsibilitas comperta, & fini addita, aliquantùm auget hoc deſiderium. Sic auctum excitat porrò ad indagandam naturam mediorum. 1. An huic agenti adhibitu ſint poſsibilia ex ſe, vel aliunde. Hujus conditionis defectu deſiderium vaneſcit in deſperationem.

2. An

2. An non ita gravia ſint, quin finis abundè compenſet. 3. An ſint neceſſaria, ut finis ſine illis obtineri nequeat; ſaltem æquè neceſſaria ac alia, ſi plures ſint viæ ad finem. 4. An certa ſint, ut horum uſu finis non poſsit non haberi; ſaltem probabilia. Horum trium defectu deſiderium abit in neglectum. Deſiderium circa talem finem & media occupatum, & fide de his roboratum creſcit in ſpem ſeu efficax deſiderium finis. Et quoniam media ſunt priora naturâ quoad eſſe actuale, utpote finis actualis ſeu fruitionis productiva; hinc agens media in eſſe actuali ponit, utendo iis

ad finem consequendum. Finis sic specificatus, est vere principium in operabilibus, ut completam volitionem obtinens sui & mediorum ad ipsum. Hæc autem omnia tum in excellentiâ finis, tum in mediorum habitudine ad ipsum eminenter reperiuntur

in Fedre inter { Christum & Patrem; Nos & Deum in Christo.

Quæ duo Fedra (quorum primum est fundamentum alterius) plurima suppeditant hujusmodi axiomata in Scripturis.

6. In hoc axiomate, ut plurimùm, Medium primo in loco

loco disponitur, dein finis. Si tamen finis habet rationem argumenti inferentis medium; Antecedens axiomatis finem continet, Consequens medium. Quoniam verò medium absolutè spectari potest, priusquam consideretur ut determinatum ad hunc finem; non incommodè tractari potest eo ordine quo ponitur (nisi fortè specialis alicujus Textûs ratio renuat) modò abstractè in absolutâ istâ naturâ, respectu ad finem reservato Doctrinæ ex partibus unitis proponendæ. Luc. 19.10. *Filius hominis venit quærere, & salvare perditum.* Ubi adventus Filii hominis argui-

tur à duplici fine copulatè dispoſito, ſubordinato & principali; qui ab objecto; quòd ab adjuncto. Partes. Antecedens, *ut quæreret & ſalvaret* (vel, *quoniam intendit quærere & ſalvare*:) Conſequens, *Idcirco venit.* Axiomata (explicatione præmiſſâ) *Nos perditi fuimus.* 2. *Filius hominis venit.* 3. *Intendit quærere.* 4. *Salvare perditum.* 5. *Quærere & ſalvare.* 6. *Quia voluit quærere & ſalvare, idcirco venit.*

7. Multa etiam ſunt Scripturæ loca, in quibus ſub notâ finalis cauſæ eventus continetur. Et hæc quoque axiomata ad hoc Affine connexo ſpectant; ſed contrario ordine par-

partium. Eventus enim ſub hac notâ latens conſequentem partem axiomatis conſtituit. Hujuſmodi videntur eſſe illa dicta [ἵνα πληρωθῇ, vel τελειωθῇ ἡ γραφή.] Quaſi dicat, *Cùm facta ſunt iſta, Scriptura impleta eſt, quæ prædixerat fore*; vel, *Facta ſunt iſta, adeò ut Scriptura impleretur*: ἵνα, pro ὥστε. Exemp. Mat. 2. 15. *Quoniam in Ægypto erat, &c. impletum eſt dictum Domini per Prophetam* (nempe in Antitypo ſeu redditione ſubintellectâ) Hoſ. 11. 1. Axiomata Antecedentis. *Mortuus eſt Herodes. Joſeph, cum Puero & matre ejus, fuit in Ægypto. Tamdiu*, id eſt, *uſque ad mortem Herodis*. In Conſequente. *Sicut Deus vocavit filium, nem-*

pe Israëlem: ita vocavit Filium unigenitum ex Ægypto. Dictum est hoc per Prophetam. A Domino per Prophetam. Impletum est. Quoniam in Ægypto erat, &c. (& monitus reversus est) *ideo impletum est.* Atque in hunc sensum videtur exponi [ἵνα πληρωθῇ] hîc, per [τότε ἐπληρώθη] v. 17. *Quoniam magnus erat luctus ob necem puerorum Bethleëmiticorum, impletum est* (nempe in simili) *dictum Jeremiæ.* Sic Mat. 15. 28. *Et impleta est Scriptura dicens, &c.*

8. Aliquando sub specie causæ finalis ponitur eventus merè per accidens, contrario etiam ordine partium. Mat. 10. 34. *Veni mittere gladium.* Præmissâ

missâ debitâ explicatione, sensus erit, *Adventum Christi esse causam per accidens persecutionis* (nempe per malitiam hominum) seu, *Homines occasionem sumpturos, ex adventu Christi, persecutiones movendi.* Hîc, *Adventus Christi*, est Antecedens; *Persecutiones ex ejus occasione ortæ*, Consequens. *Quoniam veni, persecutiones sequentur.*

9. Est & aliud Affine connexo, non ex præcisâ formæ ratione solùm metiendum, sed respectu habito tam ad materiæ naturam, quàm ad Dei testantis. In hujusmodi connexis (sive Deum, sive hominem respiciunt) licèt nihil in *esse*, tamen aliquid po-

nitur in *posse*, & aliquid præterea pro ratione materiæ. Ex parte Dei, ut Deut. 32. 41. *Si acuero, &c.* Hîc *posse*, &, ubi visum est, facturum intelligitur. Ex parte nostrî, in hortationibus, monitionibus, cum promissionibus & comminationibus, &c. secundi fœderis (non primi œconomicè propositi) ponitur *posse*. Vide D. *Prideaux* in concione de perseverantiâ. Pro ratione materiæ etiam, necessariæ, vel indifferentis: necessariæ, ponitur, *debere*, vel *debere non*; indifferentis, *licere*, vel *licere non*, *expedire*, vel *expedire non*. Quod & in aliis axiomatis ejusdem materiæ observare licet:

cet: ut Mat. 10. 32, 33. Cùm enim Teſtimonii Divini, (qualia ſunt hæc eminenti gradu) vis ſit ab infinitâ prudentiâ, virtute, benevolentiâ Dei; videndum, ne cui dicto Divino ſenſum Deo indignum, aut etiam non dignum tribuamus.

10. Hoc connexum ſi nihil abſoluti in ſe contineat, & partes ſimplices ſint; Axioma (utpote non longum) proponi poteſt ut unica Doctrina, & quæ involvuntur tanquam Uſus inde deduci. Si quis putet ellipticam eſſe ſententiam, & ſupplenda eſſe iſta, quæ involvuntur; non propterea contenderim. Aliquando ad vitan-

vitandum ſententiæ prolixioris incommodum, haud ingratum erit. Vide exemp. ſect. ult. Ponitur hoc axioma ſine notâ Jac. 5. 13. Ubi in Antecedente, *poſſe* includitur; in Conſequente, etiam *debere*.

11. Si compoſitio copulata ſit in hoc axiomate (qualis illâ cap. 5. ſect. 2.) eodem modo ſe habebit in tractatione. Ro. 10. 9. *Si confitearis in ore tuo, &c.* Axiomata (præterito quod abſolutum eſt in utrâque parte) ſunt. 1. *Ore confiteri, &c. requiritur ad ſalutem.* 2. *Corde credere, &c. requiritur ad ſalutem.* 3. *Si & illud & hoc feceris, ſalvaberis.*

12. Si compoſitio copulata ſit etiam in Conſequente, eáq; lar-

larga; contrahi poteſt in unam notionem ſummatim continentem omnes ejus partes, ut breviùs proponantur Doctrinæ conflatæ ex eâ applicatâ partibus Antecedentis. Similiter Antecedens, ut faciliùs applicetur partibus Conſequentis. Sic in Comminatione, ubi eſt ſimilis copulatio, partes poni poſſunt ut tendentes ad malum denuntiatum. Luc. 12. 45,46. Ubi ex hypotheſi diſſimilium morum ſervi, prædicitur diſſimilis eventus. *Si ſervus ille dicat, &c.* (ut *poteſt*, ſed *debet non* dicere) Axioma. 1. *Servum dicere in corde ſuo, Dominus meus differt adventum, tendit ad damnationem.*

2. *In-*

2. *Incipere verberare servos & ancillas, tendit, &c.* 3. *Edere & bibere & inebriari, tendit, &c.* 4. *Si & illud & istud & hoc faciat, damnabitur.* Ex quo axiomate ultimo observari potest Climax, seu gradus peccati, per modum Usûs. Sicut autem contraximus Consequens ad unam notionem, ut brevi-ùs proponerentur Doctrinæ ex ipso applicato partibus Antecedentis: sic & Antecedens contrahi potest ad unam, ut faciliùs applicetur partibus Consequentis. Hinc quintum axioma. *Si servus iste sit ita desperatè nequam, superveniet ei Dominus. Die, quâ non expectat. Horâ, quâ nescit.* 6. *Si sit talis,*

Do-

Dominus διχοτομήσει *illum. 7. Dabit ei portionem cum incredulis.* 8. Integrum axioma ex plenè propoſitis utrinque partibus. Ex hoc axiomate obſervari poteſt. 1. Climax in Conſequente, ſeu gradus pœnæ denuntiatæ illi ſervo. 2. Proportio inter peccatum in Antecedente, & pœnam in Conſequente. viz. *Dicit, Dominus differt venire: Dominus ſupervenit die quâ non expectat, horâ quâ neſcit.* Item, *Ille percutit, &c. Dominus dichotomiſat.* Item, *Ille immodicâ portione cibi & potûs ſe ingurgitat & inebriat: Dominus dabit illi portionem cum incredulis.*

De

De Connexo negato.

13. Connexum negatum (sive negetur præpositâ negatione toti axiomati, sive apertiùs negando consequentiam) non magis, quàm affirmatum, exhibet Doctrinam in partibus.

14. Quoniam Connexo negato locus non esset in Scripturâ, nisi Antecedens non inferret consequens affirmati; sæpè autem non infert, quia partes sunt inter se diversæ: hinc esse videtur, quòd tale affirmatum clariùs negetur, quoad partium affectionem, per Discretum ex *quanquam* & *tamen*:

tamen (quod etiam exprimit partium diverſitatem) quàm per Connexum negatum, quod ſolùm negat conſequens inferri. Quando autem negatur per hujus aut alîus generis axioma (ut virtualiter poteſt) axioma ſic negans ad propriam claſſem referendum eſt.

15. Si primum Affine connexo ſit ſub ſtrictiore notâ, aut ſi ferat ſtrictiorem; licèt negatio rumpat vinculum, tamen Antecedens ſub tali notâ, ceu conceſſum remanet: Conſequens interim (ſive in ſe verum ſit, ſive falſum) negatione ſequelæ plerumq; in medio relinquitur, ut in præciſo

ciſo connexo. Strictior nota eſt [*Cùm*] vel [*Quandoquidem.*] Rom.9.7. *Non quia ſunt ſemen Abrahæ, ſunt omnes filii.* Conjunctio cauſalis hîc ſtrictam notam feret. *Non cùm ſitis* (vel, *quandoquidem eſtis*) *Abrahæ ſemen, filii eſtis*, ait Apoſtolus Judæis ex Antecedente Conſequens inferre volentibus. q.d. *Quanquam eſtis Abrahæ ſemen, non tamen ſequitur omnes filios eſſe.*

16. Quòd ſi axioma, cui hoc in Scripturâ contradicit, adeò abſurdum ſit, ut falſum in Antecedente ponat; Antecedens, ſtrictiorem notam non ferens, Doctrinam non conſtituit. 2 Cor.11.11. In Antecedente Diſcreti Apoſtolus diſ-

diſponit hujuſmodi axioma, *Non* (quæſtione æquipollente negationi) *quia non amo vos, ideo ſum ἀχαρὴς*. Videtur illîc Apoſtolus occurrere malevolo dicenti, *Quia Paulus non amat nos, ideo nihil à nobis accipiet*. Cui Apoſtolus opponit hoc contradictorium, *Non*, &c. [*Quia*] eſt latior conjunctio in negato, potéſtque ſumi vel ut concedens, vel indifferenter, q. d. Sive amo ſive non amo vos; non amare non infert, ideo me non eſse oneroſum. Et ſanè adeò amplus eſt conceptus hominis præ ſymbolis verborum, ut verbis ita conſtringi vix queat in ſententiâ, quin elabi poſsit aliquando

in

in varium ſenſum, niſi ſcopus loci, & contextus, &c. conſiderentur. Sub ſtrictiore tamen notâ aſſeritur Antecedens. Verùm hic non erat ſenſus Apoſtoli; ſed interrogatione & quæſtione æquipollente negationi & appellatione Dei de affectu ſuo, ut videtur, & ſubjunctione veræ cauſæ verſ. 12. potiùs inſinuat contrarium iſti Antecedenti: quod & alibi abundè profitetur.

17. Negatio hîc videtur quandoq; non ſolùm vinculum, & ſic conſequentiam, ſed & conſequens tollere; præſertim vehementior. Rom. 6. 15. π' οὖν; &c. ubi π' ὄν; ut v. 1. π' οὖν ἐρῶ-

μεν;

μὴ; & 2 Cor. 11. 11. διὰ τί; &c. (licèt alibi aliter, ut Rom. 9. 30, 32.) videtur esse præparatio ad Prolepsin, seu inconsequentem illationem refutandam. q. d. Propensi estis ex rectè dictis non recta inferre. *Non, quoniam non sumus sub lege, sed sub gratiâ, peccandum est.* Omisso Antecedente (quod hîc ponitur in Discreto) 1. axioma, *Non esse peccandum.* 2. *Non istâ de causâ.* 3. *Hoc abominandum & deprecandum est.* Sic Rom. 6. 1. (ubi Antecedens nihil ponere videtur) 1. *Non manendum in peccato.* 2. *Non (vel hoc fine) ut gratia abundet.* 3. *Abominandum, & deprecandum est, ut quis maneat in peccato eo fine.*

18. Quia

18. Quia ratio finalis cauſæ eſt vis unitiva axiomatis ex fine, & res iſti rationi ſubſtrata non ſemper eſt producta, ſed judicatur eſſe ſub intentione agentis producturi; quod autem cenſetur medium, eſſe ſolet in actu externo ſeu reali: hinc eſſe videtur, quòd negatio tollens rationem finis rarò relinquat Doctrinam in Antecedente, ſed potiùs ponat aliquando Conſequens, in quo illud diſponitur quod medium æſtimatur ab iis quibus hoc axioma contradicit. ut, *Non veni judicare mundum, &c.*

Cryptis

Crypſis Connexi.

19. Quandoque abſoluta conſideratio finis, quandoque medii, aliquando utriuſque omitti poteſt, & medium directè conjungi cum fine ad Doctrinam conſtituendam. Ut in exemplo ſect. 6. Præmiſſo primo axiomate, ſecundum erit, *Venit ut quæreret nos perditos. 3. Venit ut ſalvaret. 4. Venit ut quæreret & ſalvaret.* Sic in parallelo loco Mat. 18.11. *Perditum erat. 2. Venit Filius hominis ut ſalvaret illud.*

20. Quandoque diſponi poteſt ceu ſimplex axioma, & ſic tractari. Joh. 12.47. *Veni ſalvare*

vare mundum, id est, *Salvare mundum est finis adventûs mei.* 1. *Veni.* 2. *Salvare mundum est finis hujus adventûs mei.* Similiter negatum, *Non veni judicare mundum*, id est, *Veni. Non hoc fine.* Eodem modo ex eventu. *Mittere gladium erit eventus hujus adventûs mei. Mittere pacem non erit eventus, &c.*

21. 2 Chron. 7. 13, 14. Hoc axioma ponit aliquid in partibus, tum respectu Dei, tum hominis. Principalia argumenta sunt, Culpa (præsuppositа vers. 13. expressa 14.) illativa pœnæ, pœna resipiscentiæ, hæc acceptationis. *Si, si Ego puniam* (vel, *Si Me puniente*) *resipuerint, tunc acceptabo.* Axioma

ma hoc connexum continet in Antecedente connexum, in Conſequente copulatum. Connexum in Antecedente involutum conſtat ex Antecedente in tribus membris ſub notâ disjunctivâ (ſed laxè & enumerativè ſumptâ) propoſitis, Conſequente in quatuor membris ſub copulativâ. Conſequens connexi totum comprehendentis conſtat ex tribus membris etiam ſub copulativâ. Doctrina 1. (juxta regulam ſect 8. & 9.) *Deus poteſt, &, quando Ipſi viſum eſt, claudit cœlos* (illuſtr. à fine vel eventu) *ut non ſit pluvia.* 2. *Similiter imperat locuſtæ, &c.* 3. *Deus poteſt, &, ubi viſum eſt, mittit*

peſtem in populum ſuum. 4. *Illud, vel iſtud, vel hoc poteſt, &, ubi viſum eſt, facit peccanti populo.* vel hæc omnia, vel ſimile quid, ut patet ex analogiâ aliorum locorum: neque enim hîc intenditur completa enumeratio. Sed hoc in Uſu obſervari poteſt. Deinde in Conſequente connexi involuti in Antecedente Totius (abbreviato Antecedente hujus & Conſequente totius, juxta regulam ſect. 12) hæ Doctrinæ continentur (præmiſſâ his abſolutâ illâ in hoc Conſequente, viz. *Invocatum eſt Nomen Dei ſuper populo ſuo*) Prima (juxta regulam ſect. 11.) *Requiritur ad acceptationem, ut populus Dei*

ſuper

super quibus, &c. Ipso puniente, humiliet se. 2. *Ut oret.* 3. *Ut exquirat faciem Dei.* 4. *Ut convertatur à viis suis malis.* Deinde ex abbreviatâ utrâque parte Antecedentis Totius & applicatâ Consequenti, hæ Doctrinæ. 1. *Si, Deo puniente, populus Ipsius hæc omnia fecerint, Ipse exaudiet de cœlis.* 2. *Parcet eorum peccato.* 3. *Sanabit terram eorum.* Ultimò integrum axioma, *Si, ubi Ego clausero cœlos ut non sit pluvia, aut præcepero super locustâ, &c. populus meus, &c. Tunc Ego exaudiam de cœlis, &c.* Ex quo axiomate ordo Divinæ providentiæ erga peccatores observari potest.

De Discreto.

CAPUT IX.

1. JUdicium Discreti est, partes veras & discretas esse. Exhibet partes primò tractandas (nisi absolutum aliquod involvatur,) deinde discretionem.

2. Discretum videtur quandoque quasi componi ex duobus Discretis, ita ut Consequens prioris ex [*quanquam* & *tamen*] involvat in se Antecedens posterioris ex [*non* & *sed*,] & aliud Diversum apponatur illi in Consequente. Luc. 4. vers. 27. (ut & 25.) Ubi [*quanquam*] intelligitur, & [καὶ] pro [*ta-*

[tamen] legitur. *Quanquam multi erant leprosi in Israële sub Elizæo Prophetâ; tamen nullus eorum mundatus est; sed Naaman Syrus.* Ax. 1. *Multi erant, &c.* 2. *Nullus eorum mundatus est.* 3. *Quanquam multi erant, &c. tamen nullus, &c.* 4. *Naaman Syrus mundatus est.* 5. *Nullus eorum, sed &c.*

3. Disimilia, quæ poterant convenire in qualitate, hujusmodi Discreto plenè enuntiari possent; ut Protasis sit sub [*quanquam,*] negatio similitudinis sub [*tamen,*] diversa qualitas sub [*sed.*]

4. Hujusmodi Discretum frequenter occurrit; sed ita ut compendii ergô Consequens

prioris omittatur, & Diversum, quod apponendum esset illi Consequenti, loco ejus sub [*tamen*] conjungatur cum Antecedente. Prov. 20. 17. Ac si plenius exprimeretur, *Quanquam panis mendacii sit suavis homini, tamen* [non ita perstat, sed] *postea os ejus implebitur calculo.* Quod subintelligitur, rectè asferri potest ad pleniorem axiomatis explicationem, sed in constitutione Doctrinarum omitti; ut cujus absentia abundè suppleatur in Diverso ejus loco posito, quod majus quid sonat. Axiomata. 1. *Panis mendacii est suavis* (scil. homini ei dedito.) 2. *Os ejus implebitur calculo.* 3. *Postea* (id est, post

post istam momentaneam suavitatem) *implebitur calculo.* 4. *Quamvis sit suavis, tamen postea, &c.*

5. Notæ [*quanquam* & *tamen*] videntur clariùs exprimere naturam discretionis, ut quæ in leviori dissensione consistat; cùm hæ notæ graviorem vix admittant, sed innuant res sic discretas potuisse convenire, & nonnunquam non sine magnâ culpâ, aut virtute, separatas esse: unde in Scripturis frequenter usurpantur tam ad aggravationem peccati (ut 2 Chron. 36. 15, 16. Psal. 55. 12. &c. Amos 4. 6, &c.) quàm ad laudem virtutis (ut Job 2. 3. Psa. 44. 17, &c. & 119. v. 51, & 83. &c.)

6. [*Quanquam*] ſæpè intelligitur, & tunc (1) pro [*tamen*] ponitur: ut Prov. 23. 7. Sic [καί] Mat. 11. 25. Sic [δέ] Rom. 6. 17.

7. Quoniam Diſcretum (ut dictum eſt) ſæpè clariùs negat Connexum affirmatum, quàm ipſum Connexum negatum; & Connexum negatum quandoque procedit ex fictis partibus: hinc ſub notis & ad modum Diſcreti ſæpè proponitur Connexum negatum ex fictis partibus. Imò quandoque ad fortiùs negandum, majus fictum ſibi aſſumit, quàm author affirmati probabiliter concipere poſſet. Unde præcipuum uſum

obtinet

obtinet ſub his notis, etiam in Scripturis, in amplificationibus, &c. Ita igitur proponi poteſt à Concionatore, ut in Scripturis occurrit, & magìs perſpicuè, quàm ſi in propriam formam cogeretur. Sciendum interim, non eſſe Diſcreti judicii (quod veritatem partium requirit) ſed connexi; nec magìs præſtare Doctrinam in partibus, quàm ipſum formale Connexum negatum. Quando autem majus fictum aſſumit, quàm quod ſupponi poſſet ab Authore affirmati; non incommodè explicari poteſt addendo Redditionem majoris ficti, quæ in hujuſmodi ſententiis aut ſub-

intelligitur, aut saltem necessariò sequitur. Huc videtur referri posse illud Obadiæ v. 4. Edom potuit ratiocinari, Si in editis locis (erat enim montana regio) me munivero, non dejiciar. Cui Propheta, *Si, ut aquila, te exaltares, & inter stellas nidum collocares, tamen exinde te dejicerem* [nedum de tuis excelsis.] Judicium est, *Non si te exaltares, &c. non à Me dejicereris.* Sed magis perspicuè idem hic sensus enuntiatur sub [*quanquam, & tamen.*] Sic Jer. 37. 10, &c. Si quis contendere velit hæc esse propriè dicta Discreta; putet me ejus gratiâ hanc sectionem hîc collocâsse, ne litem moverem; nolle

nolle tamen ut existimet Discreti esse judicii.

De Discreto negato.

8. Discretum negatum directè seu formaliter, rarò occurrit. Si negetur per Copulatum aut Connexum (ut potest;) ista ad suam classem referenda sunt.

De Disjuncto.

CAPUT X.

1. DIsjuncti verè & propriè sumpti judicium est, unicum verum esse.

2. Nullam exhibet Doctrinam (exceptis, si occurrant, abso-

absolutis) nisi seipsum verum in verâ partium disjunctione. Luc. 16. 13. *Servus duorum dominorum* (contraria jubentium) *aut unum odio habebit, & alterum amabit; aut uni adhærebit, & alterum contemnet.* Hîc est Disjunctum cum copulatione in utrâque parte. Εἷς & ἕτερος vim demonstrativi habere videntur. q.d. *Aut hunc odio habebit, & illum amabit; aut huic adhærebit & illum contemnet.* Duo absoluta hîc continentur, juxta regulam cap. 4. sect. 14. 1. *Servus domino, quem amat, adhærebit.* 2. *Quem odit, contemnet.* Copulatio in partibus suspenditur à notâ disjunctivâ, quâ veritas indeterminata est

quoad

quoad hanc vel illam partem. Axioma ipſum ex partibus his ſe tractandum offert. Deinde relativa conſideratio, *Quoniam aut unum, &c. ideo nullus ſervus poteſt duobus dominis ſervire.*

3. Quanquam completa Disjuncta axiomata non ſunt frequentia in Scripturâ: notæ tamen disjunctivæ in aliis axiomatis ſæpè occurrunt, ſed laxè plerumque uſurpatæ ad enumerationem partium, quatenus conſentiunt cum toto, non ad earum disjunctionem inter ſe, quâ unicæ veritas exprimatur. Quo ſenſu copulativè potiùs quàm disjunctivè ſumi videntur.

Fun-

Fundatur tamen ista enumeratio quandoque in perfectâ disjunctione, quatenus istæ partes disjunguntur respectu singularium sub toto. Philip. 1.20. ——*magnificabitur Christus in corpore meo, sive per vitam sive per mortem.* Completa est disjunctio [*Omnis magnificatio Christi in corpore Apostoli est vel per vitam, vel per mortem*] quâ & partes exhauriuntur, & significatur nullam singularem magnificationem in corpore posse esse & per vitam & per mortem, sed per unicam. Apostolus verò intendens alium sensum, utramq; partem toti applicat consentaneè; *Et per vitam magnificabitur,*

tur, & per mortem magnificabitur. Adeóque copulatum eſt judicium. Vide ſimile exemplum cap. 8. ſect. 1. Aliquando fundatur iſta enumeratio in Disjuncto incompleto: ut cap 8. ſect. ult. Res utrobique eôdem redit, & ex diſpoſitionis modo facile erit judicium etiam in aliis.

De Disjuncto negato.

4. Si occurrat directè negatum, non plura præſtat axiomata, quàm affirmatum. Indirectè negari poteſt per Copulatum affirmatum ex negatis partibus, quod non admittit unum verum; ex affir-

affirmatis, quod non admittit unicum.

De Syllogiſmo.

CAPUT XI.

1. SI Textus ſit Syllogiſtici judicii, præſtruenda eſt Analyſis, oſtendendo concluſionem, tum præmiſſas, & crypſin, ſi qua ſit; ita ut appareat Syllogiſmus in propriâ formâ. Tractanda primò ſingula axiomata; poſtremò efficiendum axioma ex præmiſſis cum concluſione per notam illativam, ad oſtendendum illationem concluſionis ex præmiſsis. Ad ordinem adeò non magni intereſt, utrùm

trùm Concluſio, an præmiſſæ priùs tractentur, ut ſeries verborum in Textu litem illam finire poſsit: quippe cùm in abſolutâ ſuâ conſideratione collateraliter ſtare videantur; & licèt inter ea neceſsitas conſequentiæ ſemper ſit, conſequentis tamen non item. Verùm ſi Antecedens continet τὸ διότι Concluſionis, rectiùs illud priore loco tractatur; ut, cùm ad concluſionem tractandam ventum erit, ipſum διότι, tanquam rem antè cognitam, præ manu habeamus: Quanquam in talibus τὸ διότι omitti poteſt in tractatione concluſionis, eò quòd ſatis maturè ſe offeret in ultimo axio-

axiomate; nisi de ipso juxta Crypsin cap. 4. sect. 24. aliter statuatur.

2. Si nulla videbitur esse intentio tollendi dubii, & analysis bene procedet juxta judicium axiomaticum (quanquam non sine rationali conjunctione,) plenúsque loci sensus per illud haberi possit; non necesse erit resolvere Textum in Syllogisticam considerationem, quoties facultas dabitur: quandoquidem, quod ad rem attinet, in primo affini connexi sufficienter continetur, & ex ejusdem regulâ tractari potest.

De Explicatione axiomatis sive Doctrinæ.

CAPUT XII.

HActenus de præparatione ad Doctrinam: Tractatio ejus sequitur.

1. Primò termini axiomatis explicandi sunt juxta acceptionem eorum in Scripturis, & referendo eos ad locum suum in corpore Theologiæ. Ille terminus semper primo loco explicandus est, qui ad reliquorum intellectionem viam munit, neque ipse prærequirit reliquorum explicationem.

2. Ad pleniorem explicationem, si opus fuerit, Quæstiones ejusmodi proponi & solvi

ſolvi poſſunt, quæ ad ſenſum axiomatis meliùs aperiendum facere videbuntur: utì & illuſtrationes adhiberi ad eundem penitiùs animis Auditorum imprimendum.

3. In ſimplici axiomate, pars conſequens, utpote ferè latior, priùs explicari poteſt; pòſt antecedens. In Compoſito, ut plurimùm, præcedat explicatio Antecedentis, Conſequentis ſequatur.

4. Qui bene explicare vult, eum bene exercitatum eſſe oportet in Scripturis, & idiomate linguarum, quibus ſcriptæ ſunt, non ſine reſpectu ad Orientales notiones in Hebræâ, & collatione earundem cum

cum Græcis, non ſine reſpectu ad Hebræam in Græcâ, ut etiam ad Græcam à Lxx. Interpretibus uſurpatam, & ad Targum Judaicum pro utriuſque intellectione, &c. Præjudicio haud abripiatur oportet, veritatem ſincerè amet, eidémque ſe totum ſubjiciat. Ad interpretationem verborum vel phraſium, vel ſingulorum, vel in ſyntaxi, uti licet Phraſeologiis & Concordantiis. Pro ſenſu eruendo reſpiciendum eſt tum ad Analogiam fidei in manifeſtis locis expreſſam, tum ad ſcopum loci, conferendo eum cum aliis locis ſimilibus vel diſſimilibus, conſiderando contextum, inq;

eo occasionem, finem, circumstantias personarum, loci, temporis, denique cohærentiam cum antecedentibus & subsequentibus.

De Confirmatione axiomatis ostendo tum {ὅτι, διότι.

Cap. XIII.

1. Axioma confirmari potest ex locis Scripturæ parallelis, iisque, si fieri potest, evidentissimis (exceptis iis, quæ non ampliùs Divinum testimonium sunt, utut in Sacris literis contenta, quàm quòd Scriptura ait hunc vel illum ita locutum fuisse:)

Tunc

Tunc ex aliis argumentis à posteriori, quæ in Scripturis occurrent.

2. Quanquam nulla rationum pondera firmitati ejus quicquam addere possunt, quod Divino testimonio nititur: nihilominus cùm Scriptura, licèt supra, non tamen contra rectam rationem sit, neque eam tollat, sed perficiat; non abs re erit aliquando uti rationibus, ut ab arte Naturæ ductis, aliisque, si judicabuntur apta, facilia, utilia Auditoribus ad meliùs imbibendam, aut retinendam Divinam veritatem in τῷ ὅτι ipsius.

3. Quanquam etiam authoritas Patrum, & totius Ecclesiæ,

clesiæ, imò omnium creaturarum, in unum conspirans nihil quicquam addere potest Divinæ authoritati, quâ Sacræ Scripturæ axiomata nituntur: non tamen inconsultum erit aliquando ostendere, hoc axioma in hoc sensu ab antiquâ Ecclesiâ, ejúsq; Heroïbus receptum & approbatum fuisse. Sed & eorum, qui extra Ecclesiam sunt, sed & inimicorum nonnunquam testimonium adhiberi potest, & in aliquibus casibus plùs valet quàm filiorum.

4. Hæ autem confirmationes à ratione & testimonio humano ductæ parciùs adhibendæ sunt, nec sine delectu, ha-

habitâ etiam ratione genii Auditorum, additâ insuper, si opus est, differentiâ aliquâ ad discrimen ponendum inter has, & eas quæ sunt à Divino testimonio.

5. Quanquam ad arguendum totum singulorum inductio magni momenti foret; tamen, quia nimis prolixum esset singula enumerare, possent per unam aut plures perfectas Distributiones sub certa quædam capita cogi, atque ita totum evincere. Instantiæ quædam ex multis si afferantur, sicut per se illustrant totum, & exemplificant; ita si potestate reliquas contineant, aut in reliquis aliud non

sit videre, confirmationis etiam vim habere meritò putandæ sunt.

6. Τὸ διότι petendum est ex propriâ causâ.

7. Propria demonstratio διότι quamvis unius axiomatis unica tantùm sit, potest tamen ex multis membris, tanquam causis partialibus, constare: quæ idcirco recolligenda sunt, & in integritate suâ ad Doctrinæ confirmationẽ applicanda.

8. Factum præcipuè demonstratur de efficiente ex ejus { facultate, fine.

Factum agentis ex ratione de ipso demonstratur ex ejus scientiâ dirigente (potestate in licitis;)

citis;) voluntate decernente, in

quâ considerari possunt { significationes, verbo, juramento, pignore, et similibus, / motiva ab {intrà, extrà,

quæ finem respiciunt; & potentiâ. Potentia aliquando latè sumpta scientiam etiam in se complecti potest.

9. Adjunctum occupatum demonstrari potest de subjecto ex formali ejus ratione, &c.

Crypsis.

10. Si confirmatio axiomatis in τῷ ὅτι, aut διότι haberi non potest, in talibus ex defectu materiæ deficit regula.

11. Historicum axioma de facto, ubi τὸ ὅτι deficit, non in-

commodè illustrari potest ab exemplo simili, ostendendo quomodo is, de quo sermo fit, aut alii in ejusmodi negotio idem fecerint. Quod licèt non probet hoc factum esse, probabile tamen efficit. Causæ etiam, ut probabiles, afferri possunt, quæ, rebus ita se habentibus, & personis ita affectis, talia effecta producere solent.

De Vindicatione axiomatis ab objectionibus.

CAP. XIV.

Sic fuit tractatio Doctrinæ directa in { explicatione, confirmatione.

1. Quanquam Objectiones con-

contra quamcunque partem Methodi utiliter aliquando afferri poſſunt: non abs re tamen erit ſtatum & definitum locum aſsignare iis, quæ contra Doctrinam, ſive axioma fundamentale, afferuntur.

2. Objectiones oriri poſſunt vel ex alio aliquo Textu ſacræ Scripturæ huic noſtro in ſpeciem contradicente, vel ex aliquâ ratiocinatione principiis vulgò receptis innixâ. Illæ ſolvuntur conciliando loca Scripturæ inter ſe: hæ detegendo ipſarum imbecillitatem ex Scripturis, & rectâ ratione.

Crypſis.

3. Non conſultum erit crebras, præſertim ſubtiles, objectiones

ctiones in aures Auditorum insusurrare, quarum aliàs iis in mentem non veniret cogitatio, quásq; non adeò facile est evellere,& periculosum relinquere in eorum animis. Quinimò totum hunc locum sæpè non malè omittere possumus, & à confirmatione Doctrinæ adUsum rectà procedere.

4. Si præjudicatâ adversùs veritatem axiomatis opinione occupentur Auditores, expediat priùs eorum objectiones diluere,quàm ad confirmationem axiomatis veniamus; ut, remoto præjudicio, plus attentionis et fidei Confirmatio nostra obtineat.

5. Prioris

5. Prioris generis Objectiones non incommodè aliquando proponi possunt per modum Quæstionis, & in explicatione axiomatis solvi.

De Usibus in genere.

CAP. XV.

HActenus prior pars Methodi, de Doctrinâ: Altera sequitur, de Usu.

1. Cùm autem Verbum Dei (non acumen, nedum error humani ingenii) sit potentia Dei ad salutem: magna cura habenda est in applicatione ejus ad animum hominis; ut nudetur brachium hoc Dei, & in evidentiâ Spiritûs Ipsius, clarâq; radiatione principii si-

ve Doctrinæ, in Usu sive consectario accommodetur Auditoribus, ità ut Usus sit quasi vehiculum, per quod Divinum axioma ad animum deferatur, & velut specificatio ejus super ipsum, prout variis respectibus ipsi conveniet.

2. Quemadmodum Argumenta sive Loci inventionis, repræsentantes nobis varias rerum inter se affectiones, suppeditant fundamenta deductionum: ità affectionum vis firmitatem & necessitatem earundem. De his ut meliùs judicemus, operæ pretium erit aliquando facere ex Doctrinâ Antecedens, ex Usu Consequens Connexi affirmati, atq;

ità

ità ea contemplari in judicio illius axiomatis, ut videamus quomodo Antecedens inferat Conſequens. Quoniam autem ejuſdem rei varia diſpoſitio atque collocatio multum ſæpè luminis affert ad claram ejus apprehenſionem; poſſumus contradicere illi Connexo (vel per negatum ſui generis, vel per Diſcretum affirmatum ex contradictorio conſequente) ut oppoſiti falſitas appareat. Poſſumus, ſi per materiam licet, convertere in axioma ſimplex, atque illud efficere Majorem Syllogiſmi, Antecedens ſive Doctrinam, Minorem, Conſectarium ſive Uſum, Concluſionem.

3. Idem Usus Axiomatis si in Scripturis ipsis alicubi expressè habeatur, commendat præsentem applicationem. Hîc si res in Consectario proposita Auditoribus non contineatur in Textu, neque natura ejus sit satis nota; opus erit, tum ad informandos Auditores, tum ut deductio clariùs elucescat, statim in limine ipsius Usûs explicare quid per illud intelligatur.

4. Non semper expedit omnes illos Usus, qui logicâ consequentiâ ab Axiomate deduci possunt, deducere; nec, quos deducimus, omnes prolixè persequi; nec, qui ad plura capita referri possunt, refer-

re

re (nisi fortè necessarium videbitur quædam sub Usu Instructionis dilucidare, quò efficaciùs in iis, quæ ad cor & affectus pertinent, urgeantur:) sed cùm, quot commodum visum fuerit, deduxerimus, licebit eos ad illa capita, sive plura sive pauciora, referre, in quibus utilissimè tractari possunt.

5. Si iidem Usus à pluribus axiomatis in Textu deducibiles sint, possunt ita distribui, ut nullum axioma aut redundet Usibus aut destituatur.

6. In Usibus ejusdem classis potest aliquis ordo concipi, juxta habitudinem sive relationem, quam habent tum inter

inter ſe, tum ad argumenta illa in Axiomate, ex quibus principaliter oriuntur.

Cryptis.

7. Non expectandum eſt ut ſingula axiomata omnia illa genera Uſuum ſuppeditent, quæ in Methodo exprimuntur (quanquam in nonnullis fortè omnia reperiamus.) Contenti igitur ſimus iis, quæ ex Axiomate ſponte ſequuntur; nec fruſtra aut nos aut Textum ipſum torqueamus ad ea extrahenda, quæ haberi non poſſunt.

8. Cum idem Uſus ex duobus vel pluribus axiomatis ſe-

sequitur, aptissimè potest ad ultimum rejici, urgeri autem in virtute omnium. Quòd si illa axiomata diversis concionibus tractanda fuerint, ità ut spatium aliquod temporis intercedat; Usus iste in prioribus breviter indicari potest, pleniore ejus tractatione ad extremum reservatâ.

De Usibus ab hypothesi ad thesin, sive à specie ad genus.

9. In hypothesi, sive proprio axiomate, considerare licet primò materiam, sive illud sit factum (sub quo etiam comprehendimus omissionem) de authore suo enuntiatum;

tum, Theologicè bonum vel malum, sive alia quævis argumenta, in quibus attribu-

tum { consentaneum, dissentaneum.

Secundò proprietatem seu singularitatem, sive sit in solo aut præcipuo antecedente, aliquando & consequente, sive in restrictivâ aliquâ conditione temporis, loci, &c. expressâ, vel necessariò subintelligendâ. *Salutant vos omnes Sancti*. id est, Romæ tunc agentes. Phil. 4. 22.

10. At-


10. Argumentatio inde est vel
immediata,
mediata, ubi medium est in
omnibus
posse, in affirmatis,
posse non, in negatis.
actionibus vel omissionibus
omnibus
propendere ad,
propendere ad non.
necessarie
debere,
debere non.
si fiant
indifferentes
tum
licere,
licere non,
tum
expedire,
expedire non.

11. Medium

11. Medium autem ſequitur ſubjectum in relatione ipſius ad attributum, in omnibus in {poſſe, poſſe non}: In omnibus actionibus & omiſsionibus in {propendere ad, propendere ad non}. Medium ſequitur genus actionis in reliquis: In quibus indicanda eſt natura actionis, & utrùm de genere ſuo ſit neceſſaria, an indifferens.

12. Poſſumus arguere à pluribus ſpecialibus in hypotheſi ad plura generalia in theſi. Poſſumus etiam arguere ab hypotheſi ad multiplicem theſin ſecundùm varios reſpectus.

ctus in hypotheſi. Vide exempl. ſect. 17.

13. Poſſumus arguere ab hypotheſi ad theſin in ſimili qualitate, ut ab affirmato ad affirmatum, à negato ad negatum : aut in diſsimili, ut ab affirmato ad negatum, 1 Cor. 10. à negato ad affirmatum.

14. Argumentatio à ſpecie ad genus tenet duntaxat ſecundùm id generis quod eſt in ſpecie, atq; ità ab omnibus ejus generis ad nos tanquam ejuſdem generis. Aut, ſi accipiamus à pari, ratio conſequentiæ eſt ex communitate eâ, quæ nobis cum illâ ſpecie intercedit, quæ communitas paritatis illius cauſa eſt, eò quòd

quòd essentiæ rerum sunt in indivisibili, genúsq; ubi communicat, totum communicat: Atque ità eôdem recidit.

15. Mediata argumentatio requirit, primò ut medium verè pertineat ad hypothesin: Secundò, ut ab hypothesi, tanquam sub illo medio, arguamus ad thesin, quatenus medium pertinet ad id generis quod est in hypothesi.

16. Possumus arguere ab hypothesi ad thesin per terminum reduplicativum additum generi applicato hypothesi, sive mediatè, sive immediatè; eò quòd *à quatenus ipsum ad de omni efficax est illatio.* Abraham, quà justificandus secun-

cundùm rationem ſecundi fœderis, juſtificabatur fide; Ergo quilibet ſic juſtificandus juſtificatur fide.

17. Poſſumus etiam arguere ab hypotheſi ad theſin eo reſpectu, quo non feret terminum reduplicativum, modò ſub illo reſpectu contineat quod terminum illum feret. David non quà fidelis, at fidelis, commiſit adulterium: Ergo potuit (At non quà fidelis, ſeu ſecundùm illud principium, ſed ſecundùm naturam, quam habuit communem cum omnibus fidelibus nullâ neceſsitate impeditis quò minùs tale peccatum committant:) Ergo fidelis

lis potest committere adulterium seu peccatum devoratorium, Ergo Rex, Ergo Propheta, Ergo habens plusquam sufficiens auxilium ad contrarium, Ergo beneficiis Divinis cumulatus potest, &c.

18. Atque hæc pauca de hoc deductionis capite ab hypothesi ad thesin (cujus frequens est abusus) indigitanda putavi; non quòd rem tantæ latitudinis brevi hoc compendio concludi posse existimarem, sed ut aliis locum diligentiùs excutiendi occasionem præberem.

De

De Usu Instructionis.

CAPUT XVI.

RESTAT ut tractemus de Usu in specie, qui respicit { mentem, sive intellectum, cor, sive voluntatem et affectus.

1. Primum caput Usûs est in applicatione Doctrinæ ad mentem sive intellectum. Hîc autem, quia cor sive voluntas magnum habet influxum in mentem (juxta illud, *Quæ volumus, facilè credimus*;) licet igitur (tametsi hac in re peccari plurimùm & potest & solet) at licet (inquam) in bonâ cau-

causâ aliquid vel tectè vel etiam apertè insinuare, quo affectus Auditorum occupemus, iisque velut admotis scalis, mentis arcem invadamus.

2. Primus Usus ad mentem pertinens, est Instructio, informans eam Divinâ aliquâ veritate ex Axiomate derivatâ, & in eo tanquam in principio contentâ. Hunc Usum significare videtur Apostolus in suo illo [πρὸς διδασκαλίαν] 2 Tim. 3.16. Huc pertinent specularia omnia consectaria à Doctrinâ fluentia. Amplificari potest hic locus magis aut minùs, modò perspicuè & ad captum Auditorum.

Crypsis.

Cryptis.

3. Si Usus Instructionis (ut aliquando fit) ad aliquem etiam ex iis, quæ ad cor spectent, referri potest, commodius erit hunc locum vacuum relinquere, quàm illos: maximè ubi cordis potiùs, quàm mentis res agitur, plúsq; interest moveri vel sedari affectus, quàm informari intellectum.

De Refutatione.

CAPUT XVII.

1. HIc etiam Usus mentem respicit. Hujus opus est occurrere erroribus Divino axiomati oppositis; sive (per modum antidoti) illis, à quibus impendet Auditori-

ditoribus noſtris periculum, ſive (per modum remedii) illis, qui jam inter eos ſerpere, aut graſſari cœperunt. Huc ſpectare videtur illud Apoſtoli [πρὸς ἔλεγχον.]

2. Hoc autem cùm quis utitur, etiam atque etiam cavere debet, ne pro erroribus damnet aut refutet, qui errores non ſunt. Si enim væ illi (quiſquis fuerit) qui lucem tenebras dixerit; multò magis væ illi legato, qui loco & nomine Dei & Chriſti ejus, prætextu Spiritûs ſancti, coram ſanctis Angelis & Eccleſiâ, fortaſſe in præjudicium Divinæ veritatis per Filium è ſinu Patris ad ſummum humani generis

generis bonum revelatæ, in in contumeliam fidelium ac chariſsimorum Dei ſervorum, in quos plurima dona ad commodum aliorum contulit, & è quibus multæ animæ pendent, hoc facere non verebitur.

3. Porrò, ſi cui erroneum aut hæreticum aliquod dogma tribuat, eúmque illo nomine reum peragat; certus eſſe debet eum, quem ita criminatur, revera dogma illud defendere, & quidem eo ſenſu & gradu tam rei quàm mentis, quo id ei imputatur. Hujus autem certus eſſe non poteſt ex teſtimonio cujuſquam, qui adverſarum par-

tium est, licèt viri alioqui minimè mali. Qui etiamsi verba diserta, in quibus hæresis aut error contineri putatur, ex authore ipso citare præ se ferat, non tamen ei temerè adjungenda est fides. Fortè enim (quæ natura est præjudicii, præsertim cum intemperie conjuncti) quid pro quo accipit, authorem pro authore, verbum pro verbo; fortè mutilas & dimidiatas profert sententias, aut si integras, malè interpunctas; fortè etiam aliquid de proprio addit; fortè servatis verbis, alium, atque à mente authoris alienum sensum iis affingit, reclamante ipso contextu & scopo. Hæc enim

enim omnia non tantùm dolo malo, ſed aliquando vel imperitiâ, vel perturbatione animi fieri poſſunt.

4. Si quos refutat ſub nomine Eccleſiæ ſeu cœtûs alicujus; videndum eſt, ne privata hominum placita pro Eccleſiæ vel cœtûs illius receptis articulis in jus vocet. Iniquum enim erit ſingulorum erroribus univerſos gravare, aut poſtulare ut quod unus quiſpiam opinatur, id ab omnibus præſtetur.

5. Si quos, tanquam contra Eccleſiam noſtram dogmatizantes, refutare ſuſcipiat; illud imprimis planum faciat oportet, eum articulum, cui

dogma eorum contradicit, esse revera articulum nostræ Ecclesiæ, & non tantùm sui ipsius aut privatorum quorundam spirituum, quamvis multorum.

6. Si opinionem, quam refutat, ejúsque defensores, non solùm nudo erroris aut falsitatis crimine arcessat, sed præterea etiam tanquam blasphemos, profanos, consolationis Evangelicæ hostes, prædamnatarum hæresium & hæreticorum affines, &c. exagitet; eò magis explorata & perspecta habere debet, quæ dicit. Quantò enim atrocius est crimen, quod objicitur, tantò atrocior est injuria, si falsò objicitur. 7. De-

7. Denique quemcunque errorem in ſcenam producit, eum refutet nervoſè, ſolidè, manifeſtè; ne vaneſcat refutatio, error hæreat: affectu autem & ſermone, cauſæ & Chriſtianæ charitati convenientibus; ne, dum mentes Auditorum errore liberare ſatagit, corda eorum malitiâ & acerbitate impleat, ſuóque eos exemplo doceat Religionis proram & puppim in odio fratrum & maledicentiâ ponere, quibus tamen (ſi Scripturæ potiùs, quàm malignæ noſtræ naturæ credimus) nihil poteſt eſſe puræ Religioni magis contrarium.

Crypsis.

8. Usus Refutationis rectiùs, ut plurimùm, omitti potest; nisi error ejusmodi sit, qui apud Auditores nostros fidem invenerit, aut à quo illis timeamus, aut à quo illorum operâ alios liberari posse speremus.

9. In necessariâ aliquâ controversiâ possumus errorem persequi ἀναστευαστικῶς, & oppositam veritatem κατασκευαστικῶς.

De Reprehenſione.

CAPUT XVIII.

1. SEquuntur Uſus qui reſpiciunt cor, ſive voluntatem & affectus. Hi autem præcipuè Rhetoricæ apparatum omnem ſibi vendicant, verùm non ſine ſale prudentiæ & gravitatis, ut perſonam & rem ſacram decet, uſurpandum.

2. Hîc autem aliquando Uſui admiſceri poteſt aliquid, quod ad alium attinet, ſed obliquè, prout ad ſe invicem acuendos aut molliendos conducere videbuntur.

3. Uſus, qui ad cor ſpectant,

ctant, respiciunt illud vel tanquam sub præsenti aliquâ intemperie, aut dispositione, cujus respectu correctione & rectificatione indiget; vel in relatione ad aliquid futurum. Prioris generis sunt { Reprehensio, Consolatio. Hæ duæ contineri videntur in Apostoli [πρὸς ἐπανόρθωσιν.]

4. Si Doctrina suppeditat consectarium, quod arguat malum peccati Auditoribus nostris incumbere, potest iis applicari in Usu Reprehensionis.

5. Hujus igitur objectum formale est peccatum, cujus nondū pœniteat authorem; finis, excitare dolorem sive pœnitentiam;

nitentiam; medium, per quod hunc finem assequitur, est, arguendo urgendóq; malum illud, tum ut præsens, tum ut magnum.

6. Præsentia mali ex notis demonstrari potest. Hæ autem sumantur præcipuè ex propriis adjunctis, & oppositis sine medio: eò quòd ab his semper arguere possumus tam affirmativè quàm negativè. Causæ etiam pro notis nonnunquam usurpari possunt, nisi quando malumus earum operâ uti in Exhortatione aut Dehortatione. Propriorũ autem effectorum hac in re insignis est utilitas. Quanquam enim ab his non possumus

arguere affirmativè & negativè, eò quòd causa non semper est in actu secundo: argumentatio tamen affirmativa valdè evidens est & convictiva; neque negativa est planè nulla, quando causa, si adesset, haberet omnia requisita ad agendum. Aliis etiam notis uti licet tam affirmativis quàm negativis.

7. Virum autem Dei, qui notas dextrè assignare velit (præsertim in aliquibus casibus) oportet habere sensus bene exercitatos in Scripturis, probè etiam callere tum artem ratiocinandi, tum naturam animæ humanæ, tum Dei ipsius diversos modos operandi,

perandi; adhæc ſtatum hominis tam ſpiritualis quàm carnalis, & varios utriuſque gradus, & in quo ſtatu & gradu is in Scripturis fuerit, à cujus exemplo ad alios arguere vult &c. Apage autem vana humani cerebri ſomnia, privata experimenta, confuſas & incertas collectiones, &c. quibus quis, ſeipſum tanquam omnium hominum regulam & menſuram conſtituens, prætorio more, & quaſi pro tribunali de aliorum ſtatu pronuntiat, nullâ habitâ ratione aut naturæ rerum, aut ipſius Verbi Dei: cùm tamen Deo ſoli unuſquiſque noſtrûm ſtet aut cadat, Verbúmque Ejus omni-

omnium judex ſit, omniúmque ſtatuum ac graduum regula in ordine ad Deum, omníſque obliquitatis index certus ac infallibilis.

8. Quæ de notis hîc diximus, uſui eſſe poſſunt in Conſolatione, maximè verò in Exhortatione.

9. Quemadmodum præſentia mali culpæ notis demonſtratur, ita magnitudo aggravationibus. Capita aggravationum præcipua ex Schemate ad finem capitis adjecto deſumi poſſunt. Quod etiam in reliquis Uſibus locum habet.

10. Ad hunc actum Reprehenſionis addi poteſt etiam actus

actus Comminationis, ſive Denuntiationis pœnæ ex uno aut pluribus manifeſtis Scripturæ locis, quibus intonat Spiritus ſanctus adverſus illud peccatum.

11. Hic autem Uſus maximè omnium ſecum afferat vim et evidentiam Textûs ſive Doctrinæ, unde deducitur. Notis etiam hîc (ſi iis uti neceſſe fuerit) quàm poſſumus evidentiſsimis utendum eſt, inſtar balatûs ovium, &c. 1Sam.15. ad detegendam Saulis inobedientiam.

12. Quando ſubordinata variiſque gradibus diſtincta peccata reprehendenda ſunt, commodiſsimum erit à minimo,

nimo incipere, atque ita gradatim aſcendere: Similiter in aggravationibus ejuſdem peccati. Hîc autem privativa oppoſitio minor eſt, quàm adverſa.

13. Si res poſtulat ut peccato alicui reprehendendo diutiùs inſiſtatur: poſt datas notas (ſi fuerint opus) poteſt primò argui ab inhoneſto & inutili (ubi & Comminationes) in latitudine ſuâ; Deinde cum aggravationibus, oſtendendo pluſquam vulgarem utriuſq; magnitudinem, aut prioris in aliquibus caſibus, proſequendo etiã ſingulos illius peccati gradus (ſi ità videbitur) à minimo ad ſummum, ídq; per varia

varia capita & gradus aggravationum.

14. Ad hoc caput referri potest *Lamentatio* nonnunquam in Scripturis usurpata, quâ Concionator virtualiter & obliquè reprehendit peccatores.

Lamentatio hæc quandoque { actu assumitur, assumenda prædicitur.

Est autem de { peccato commisso, pœnâ { præsente, futurâ.

Illa de peccato propiùs accedit ad naturam formalis Reprehensionis, ut quæ habet objectum eâdem formali ratione vestitum: Hæc, de pœnâ, magis

gis est obliqua, utpote quæ non habet eandem rationem in objecto, sed quod ipsam arguit, ut effectus propriam causam. Illa principaliter fluit ex Concionatoris amore erga Deum, Cui peccatum; hæc ex amore erga proximum, cui pœna adversatur.

Exemplum Lamentationis actu assumptæ de peccato habetur Isa. 1. 21.

De pœnâ { præsente, Thren. 1. vers. 1. ad 12. futurâ, Isa. 22. 4.

Exemplum Lamentationis, quæ prædicitur assumenda, de peccato, 2 Cor. 12. 21. De pœnâ, Isa. 15. 5.

Adhiberi autem potest secundùm

cundùm { hanc vel illam partem ſeparatim. / utramque conjunctim. } Sic Luc.13. verſ.34,35. Nec ſine lacrymis Cap.19. verſ.41.

Amplificari etiam poteſt, primò plangendo res ſeu perſonas, in quibus ii, qui planguntur, peccant, vel puniuntur Jer.9.10.

Secundò per { Apoſtrophen, / Proſopopœiam. }

Per Apoſtrophen ad res ſeu perſonas Iſa.23.14. vel ad alios, ad quos attinet dolere de eorum, qui reprehenduntur, peccato vel pœnâ. Per Proſopopœiam, inducendo tum pec-

peccatores ipsos Pro.5.12. tum res seu personas, in quibus peccant vel puniuntur. Secundò etiam alios, eósq; vel condolentes, Revel.18.9. vel deridentes, Lam.2.15.

Lamentatio, quæ prædicitur assumenda, quoad illam partem, quæ pœnam respicit, adhiberi potest ad amplificandam Denuntiationem.

Cryptis.

15. Notæ hîc omitti possunt, nisi quando aut peccata subtilioris naturæ sunt, quàm ut facilè discerni possint, aut peccatores adeò præfracti, sibíque placentes, ut se in vitio esse nolint agnoscere.

16. Apud pudentiores peccatores

catores ſatis erit aliquando peccatum breviter perſtrinxiſſe, verbóq; indicâſſe quomodo ipſum Textui ſeu Doctrinæ adverſetur. Itaque aggravationibus parci omnino poteſt, niſi fortè paucis quibuſdam, quæ maximè idoneæ videbuntur, uti velimus.

17. Comminatio ſive Denuntiatio non malè omitti poteſt, niſi quando peccatum aut ſuâ naturâ atrocius eſt, aut altas radices habet, aut proclivis eſt Auditoribus in ipſum lapſus.

18. Molliri poteſt aliquantum atq; edulcari hic Uſus, nec minùs (fortè etiam magìs) efficax reddi, ſi Concionator ſanctè

ſanctè profiteatur, ſe non ſponte ac voluntate ſuâ ad extrema illa remedia deſcendere, ſed invitum ac dolentem eò pertrahi; præſertim ſi ſe talem in reliquâ vitâ & ſermone præbeat omni manſuetudine & lenitate, ut verè id ab eo dici credant Auditores. Poteſt etiam quæ in Auditoribus præclara & laude digna judicaverit, ea commemorando, ſimul à ſeipſo amovere amaritudinis aut acerbitatis ſuſpicionem, ſimul etiam eos monere atque hortari, ne partam virtutum ſuarum gloriam tam fœdi peccati labe maculent, aut coronam expectatam amittant.

Capita

Capita præcipua aggravationum peccati.

I. A cauſis { internis, naturâ ſeu ſpecie peccati.
externis { Efficiente. *A.*
Fine. *F.*

A. Ab efficiente ſpectatâ in operandi { Ordine ut { procreans, conſervans { inſiſtendo { veſtigiis aliorum, imprimis { notoriè pravorum, graviter punitorum.
ſuperaddendo
Modo, ut { vel { ſolitaria, cum aliis. *B.*
vel per ſe. *C.*

B. Cum

B. Cum aliis { ubi à sic peccantium { multitudine, / conspiratione.
iisque { sociis, / inæqualibus { principali, præsertim malâ; / adjuvantibus, quibus peccator abutitur.

C. Per se, quâ multum voluntarii. Hìc spectanda { Mens, quæ { præsentat { majora dissuasiva, / minora motiva. / captivata { prudentem facit ad peccandum, / intendit desiderium peccandi.
Conscientia, quatenus { reclamat. *D.* / ligatur. *E.*

D. Re-

D. Reclamat ut in peccato ex
- malitiâ, quando quis peccat ex
  - consilio deliberato, & destinato animi proposito,
  - ignorantiâ affectatâ, sciens conceptu confuso lucem detecturam opus suum malum, Joh. 3.
- infirmitate, sed quando peccat quis
  - certâ & ad factum applicatâ scientiâ,
  - frequenter & negligit corrigere.

E. Ligatur
- habitu, ex quo peccatum procedit
  - majori cum lubidine,
  - difficilius emendatu.
- frequenti
  - rejectione monentis,
  - obfirmatione contra ipsum.

F. Fine

F. Fine { Agentis,
Rei, quatenus ex hypothesi peccati hominis Deus decrevit aut { condonandum resipiscenti propter mortem Unigentiti,
non-pœnitenti luendum æternâ pœnâ.

II. Ab Effectu { Positivè in { Personâ peccatoris { inferendo { reatum, pœnam { semper, merendo; quandoque, clamando.
disponendo eum ad peccata { eadem, alia.
Aliis. A.
Negativè, bona { futura impediendo, præsentia auferendo.

A. Aliis


A. Aliis
generatim
bonis
firmis, tristando,
infirmis, faciendo impingere.
malis
animando,
faciendo ut
blasphement
Deum,
sanctam professionem.
infament
amicos ejus,
reliquos ejusdem professionis.
I
speciatim
familiâ præsenti,
posteris.


III. A Subjecto
quo
recipitur
externè,
internè.
locatur
sacro,
communi,
circa quod occupatur
Personæ
Increatæ secundùm varios respectus & gradus manifestationis Sui in Creatæ. A.
boni nostri
volitione,
effectione.
peccati aggravandi
tolerantiâ,
odio.
Rei. B.

A. Creatæ

- A. Creatæ
  - Angelis,
  - Hominibus
    - Sc,
    - Proximo, imprimis
      - conjuncto
        - Deo { virtute, officio.
        - sibi { naturâ { consanguinitate, affinitate.
          - sive { amicitiâ, beneficiis { liberè datis, ex pacto rependendis.
      - commendati-ori sibi à Deo, ut
        - grandævus, { quovis modo,
        - afflictus { peregrinus, pauper, { speciatim { vidua, orphanus, &c.

I 2


B. Rei
Lege
jubente,
vetante, in quam graviùs peccatur, ubi contrariantur
actu,
objecto.
Materiali, objecto, sive
sit
sacrum,
commune.
apprehendatur
sensu, ut voluptas,
mente, ut
divitiæ,
honores.


I 3
IV. Ab Adjuncto tum
Peccatoris, ex
respectu
quem ipse gerit
in se, singulari, quà est Christianus, novo homine indutus, &c.
erga alios, sociali
œconomico,
publico.
quo alii sunt erga ipsum affecti
benè, ut
cui multi fidem, habent honorem.
à quo multum boni expectatur.
malè, ut captent
licentiam peccandi,
ansam lædendi
verbo,
facto.
circumstantiâ temporis. A.
Peccati ipsius. B.

A. Cir-

A. Circumstantiâ temporis
- ætatis, quo peccat,
- actionis, quâ peccat, in
  - quantitate
    - discretè, toties,
    - continuè, tamdiu.
  - relatione ad res tunc peragendas
    - sacras
      - ordinarias,
      - extraordinarias.
    - communes
      - ordinariæ vocationis,
      - extraordinariæ occasionis.

B. Peccati ipsius
- quo vestitur, ut
  - clàm, palàm, &c.
  - difficulter remissibile. Irremissibile etiam locum habet in Dehortatione.
- quod circa peccatum occupatur, ut
  - Deus,
  - creatura
    - rationalis
      - Angeli
        - boni,
        - mali,
      - Homines cujuscunq; relationis.
    - irrationalis, gemendo.

aggravatione à Diversis nihil frequentius. Vide cap. 9. sect. 5.

V. A Dissentaneo; ubi oppositæ
- virtus: una directè, reliquæ extensivè.
- ratio versandi in: aliis rebus, ut, si peccatum sit contra mandatum eâdem re alio tempore.
  - vetans, inertia in officiis Tabulæ: primæ, secundæ.
  - jubens, activitas in: malis, non necessariis.

VI. A Comparatis in
- quantitate
  - pari,
  - impari
    - majore, si magnum, & à quo propè abest;
    - minore, quando minus: vehementer displicuit, graviter punitum fuit.
- qualitate: simili, in malo, dissimili, in bono.

VII. Ab

VII. Ab Ortis sive { Nominalibus, / Realibus, ubi { partes, / finitio.

VIII. A Testimonio, ubi { Quis { Deus, Qui etiam aliquando descendit ad nostros modos { provocandi, / jurandi. / Homo, testimonio { communi { lege, / voce populi { inclusâ { proverbio, / dicto sapientis. / vagante in publicâ famâ. / proprio. } } } } } Quid.

De

De Consolatione.

CAPUT XIX.

1. SI Doctrina suppeditet Consectarium, quod boni aliquid promittat iis, qui discruciantur animi; hoc consectarium applicandum est Auditoribus in Usu Consolationis.

2. Hujus Objectum formale est malum, sive culpæ sive pœnæ, quod aut non omnino aut non tali gradu & mensurâ, quali ipsi putant, Auditores premit. Finis est excitare gaudium. Medium, per quod hunc finem assequitur, est, proponendo cordi bo-

num aliquod magnum & præſens.

3. Præſentia hæc oſtendi poteſt Notis ſumptis à quocunque argumento, quod bonum propoſitum neceſſariò infert.

4. Quoniam autem in concionibus publicis uſitatus conſolandi mos eſt, alloquendo homines non ſimpliciter, ſed ſub eâ conditione, cui Scriptura bonum illud promittit: ne igitur conſolationem hanc arripiant illi, ad quos non pertinet (utpote qui qualitate requiſitâ minimè prædíti ſunt;) aliquando non abs re erit Notas quaſdam tradere, quibus de præſentiâ aut abſentiâ illius

us qualitatis, adeóque boni ei annexi, judicetur.

5. Ratio boni eſt { negativa, positiva.

Negativum bonum eſt in abſentiâ, de toto aut de tanto, mali alicujus (ſive ejus quod adeſſe putatur, ſive alterius cujuſpiam) quod ſi revera adeſſet, hominem affligeret; abſentia autem illius arguit res ejus meliori loco eſſe, quàm opinatur. Poſitivum bonum eò ſpectat, ut, ſi malum pœnæ removere nequeat (ut aliquando nequit) ſaltem leniat & tolerabile efficiat: Malum autem culpæ (quoniam cum illo bonum, adeóq; conſola-

tio,

tio, consistere nequit) saltem removeri posse ostendat, atq; eatenus consoletur. Quòd si malum aut nunquam adfuisse, aut jam remotum esse demonstretur, nihil amplius ad Consolationem requiri videtur.

6. Gaudium tantò majus efficitur, quantò bonum est in se majus, & præsentia ejus tum ad participationem arctior & aptior, tum ad perpetuitatem firmior.

7. Bonum amplificari potest secundùm naturam suam. Si bonum virtutis, argumenta peti possunt (juxta regulam oppositorum) ex Schemate aggravationum peccati. Hæc autem

autem amplificatio intendi poteſt magis aut minùs, prout afflictio ejus, quem conſolari volumus, poſtulabit. In eo autem maximè amplificandum eſt bonum, in quo malo illi, quod premit patientem, opponitur, ſive minuendo illud, ſive removendo, ſive præponderando.

8. Quemadmodum dolor oriri poteſt ex malo præſenti non ſolùm actualiter, ſed in certitudine cauſarum; ita gaudium ex bono. Si igitur objectum timoris vehementer urget, præſertim ſecundùm difficulter vitabile, ità ut vel planè adimat, vel nimiùm debilitet illud aliquid ſpei quod

eſt

est in timore, atq; ità abjectionem animi dolorémque afferat : Consolatio potest esse negativa ad objectum timoris in illo excessu, ostendendo aut malum omnino non esse, aut non adeò magnum, aut non inevitabile; vel positiva, per bonum aliquod præsens, sive actualiter, sive in æquali aut majore certitudine causarum.

9. Huic actui addi potest actus Benedictionis, sive promissionis boni.

Crypsis.

10. Notæ etiam hîc aliquando omitti possunt, maximè

mè quando ſumuntur à conditione, ſive qualitate illâ, cui bonum, quod proponitur, annexum eſt, & Concionator intendit mox Auditores ad illam hortari: Tunc enim in Exhortatione eâ (ſi modò omnibus numeris abſoluta futura ſit) notis illis utendi occaſio erit.

11. Pronuntiatio benedictionis (ſicut in priori Uſu Denuntiatio maledictionis) quoniam exercitium clavium, aut aliquid inſtar, præ ſe ferre videtur; igitur maximis & graviſsimis cauſis optimè convenit.

12. Qui conſolatur, cùm id faciat tanquam Dei miniſter,

&

& in Ejus nomine, & ex loco aliquo Scripturæ, fortè hiſtoriâ de Heroë aliquo ibi memorato; cúmque ii, qui excitandi ſunt, non rarò ex puſillanimitate peccent, graviter dolentes, atque animum deſpondentes levibus de cauſis, & quibus Conſolatio obvia eſt & ante pedes: Licet igitur aliquando Reprehenſionem admiſcere, afferendo exempla Chriſti aut Sanctorum in Scripturis, qui ſub afflictionibus longè majoribus alacres atque erecti fuere. Quos, ſi ita videbitur, per decentem Proſopopœiam introducere poteſt dicentes, æquales ſibi, aut etiam graviores fuiſſe doloris

loris cauſas, quàm illis, exponentéſque quibus rationibus ipſi ſe ſuſtentârint, atq; etiam lætati ſint & exultaverint in tribulationibus ſuis, dum boni annexi excellentiam & magnitudinem intuerentur. Atque hinc demum conferendo horum & Auditorum ſuorum conditionem, totum hunc locum claudere poteſt, vel exprobrando Auditoribus (ſi opus fuerit) mollitiem & imbecillitatem animi; vel cohortando ipſos ad præſtantiſsimorum illorum virorum fortitudinem imitandam.

De Exhortatione.

CAP. XX.

1. HActenus fuere Usus, qui respiciunt cor tanquam sub præsenti intemperie: sequuntur ii, qui respiciunt illud tanquam in relatione ad aliquid futurum. Hos Apostolus complecti videtur in suo illo [πρὸς παιδείαν τὴν ἐν δικαιοσύνῃ.]

Súntque { Exhortatio. / Dehortatio.

Exhortatio respicit bonum aliquod futurum, quod ad Auditores pertinet, stimulans cor ad illud persequendum.

Scopus

Scopus hujus eſt excitare ſpem, ſeu efficax deſiderium: ideóque proponit illud, ad quod hortatur, ſub formali ratione objecti ſpei, quod eſt *bonum futurum, arduum, poſsibile.*

2. Motiva fundantur in bono rei, ad quam hortatio fit. Quod cùm conſideretur in gradibus ſubordinationis, quam habet ad ſummum bonum, tanquam ad illud conſequendum magìs vel minùs neceſſarium: tantò plus roboris habet, quantò major eſt neceſsitas; plurimum, ſi abſolutè neceſſarium eſt neceſsitate finis ultimi.

3. Bo-

3. Bonum est { honestum & decorum, utile & jucundum.

Quibus addi potest absentia mali, quæ boni rationẽ habet.

4. Bonum urgeri potest ab exemplis Dei & Christi; ab exemplis sanctorum Angelorum & hominum; à bono quod reperitur in creaturâ irrationali (ut diligentia in formicâ, &c;) à bono hominum non bonorum; à bono etiam in peccatis hominum malorum, prudentium, operosorum, &c. in suâ generatione in malè agendo, idq; ex motivis levibus & infirmis (saltem comparativè) imò planè nullis nisi specie tan-

tantùm, revera diſſuaſivis; denique ab exemplis ipſorum dæmoniorum, quorum ſi legioni convenire potuit in uno homine, multò magis par æquúmque eſt duobus hominibus ſuaderi, ut in unâ domo concorditer habitare velint. Huic parti Exhortationis Schema conducere poteſt.

5. Huic actui addi poteſt Comminatio, ſive Denuntiatio mali, ut & Lamentatio (Jer. 13. 17.) ſed hypotheticè, ſi, cùm ad magnum aliquod bonum ſtimulantur, parêre neglexerint. Eodem modo & Benedictio pronuntiari poteſt in eos, qui magnum aliquod bonum ſtudioſè ſectabuntur.

6. Si

6. Si Auditores falsò sibi persuaserint bonum illud, ad quod per Exhortationem incitantur, non futurum, sed præsens jam ipsis esse (cujus in pluribus suspicandi occasio esse potest innata omnibus philautia;) Notæ quædam tradi possunt, quibus boni illius absentia arguatur. Sed neque inutiles erunt, ut vel maximè adsit: ita enim valebunt motiva ad bonum illud fovendum, inq; eo perseverandum. Hîc autem Notæ non sumendæ sunt à causis, si caput illud mediorum directorum tractandum fuerit.

7. Si nimis fidenter sibi promiserint Auditores, se rem ipsam,

ipſam, aut ſpatium ejus adipiſcendæ ſemper in poteſtate ſuâ habituros, adeò ut, quandocunque voluerint, nullo negotio compotes ejus fieri poſsint, atque ità præſens neglexerint: tum exponendum eſt arduum.

8. Ad occurrendum priori fiduciæ, quæ de rei ipſius facilitate eſt, conſiderare licet, Primò ex parte Dei, ordinem, quem in rebus fixit, ſecundùm quem optima quæque non ſine labore ac difficultate aliquâ parari voluit: Tum ex parte noſtrî, quàm averſa ſit prava noſtra natura ab optimarum rerum ſtudio: Denique quàm ſedulò quámque aſsi-

aſsiduè Satan & inſtrumenta ipſius in hoc incumbant, ut nos à rectâ viâ ineundâ aut deterreant, aut aliò abducant. Quod ad alteram autem attinet, quæ de tempore eſt ſive ſpatio rei adipiſcendæ; conſiderari poteſt futuri contingentia & incertitudo, tum quoad vitam, tum quoad capacitatem. Adde etiam periculum, ſive ab actu Dei ſubtrahentis gratiam, et decretum emittentis; ſive à vi malæ conſuetudinis, quæ ſenſim obrepit, & callum animo obducit, ut ſanis conſiliis & monitis ampliùs obtemperare nolit.

9. Si Auditores rem ſibi impoſsibilem, aut nimis difficilem

ficilem judicaverint, adjungi poſſunt Media, quibus illud, ad quod hortamur, obtineri poſsit. In quorum tractatione obiter etiam occurri poteſt objectionibus (ſi quæ ſunt) quibus deterreri forſan homines videantur ab eo ſequendo, quod ſe aſſequi non poſſe exiſtiment.

10. Media duorum ſunt generum { per modum removendi prohibens; directa, quæ (principio actionis per Motiva excitato) mentem (ſi opus eſt) informant ac docent de modo agendi, viréſque ad conſequendum aut efficiendum quod volumus ſuppedi-

tant. Hiſce omnibus aut ſingulis aut aliquibus ex his (prout commodum fuerit) annecti poſſunt promiſsiones Dei in Scripturis, quibus & volentibus poteſtatem utendi mediis, & utentibus ſucceſſum pollicetur.

11. Aliquando ante particularem Mediorum aſsignationem præmittendum erit generale prærequiſitum, ſine quo fruſtra de Mediis deliberatur; quo autem poſito utrumq; Mediorum genus utiliter præſcribitur.

Crypsis.

12. Quando præcipua Motiva in τῷ δότι continentur, ea hîc omitti possunt, & aut alia adhiberi, aut nulla, sed Auditores referri ad τὸ δότι. Tamen si exhortatio magni momenti fuerit; quæ ibi διδακτικῶς menti proposita atq; explicata erant per modum rationum, hîc etiam utiliter resumi possunt, & veluti pro concessis accepta urgeri ad movendos affectus.

13. Si Auditores nimiùm sibi placere videbuntur, ità ut Motiva apud ipsos parùm momenti habitura sint, tanquam minimè ipsis visa ne-

ceſſaria; Notæ priore loco tradi poſſunt, deinde ſubjungi Motiva.

14. Arduum hîc plerumq; omitti poteſt: tum quia videtur non niſi accidentaliter ingredi objectum ſpei; tum quia ſolent homines ignavi etiam ſuâ ſponte cauſari difficultates, quando ad officium ſuum faciendum incitantur; tum denique quia Media ferè præſupponunt aliquid ardui. Imò ſæpe argumentum à facili uſurpandum eſt in Motivis ad urgendum bonum; tunc ſcilicet, quando Media omittuntur, aut hoc argumentum ità tractatur, ut cum illis non coincidat. Quando autem ſeparatim

paratim illud attingere neceſſe erit, Media ita tractari poſſunt, ut oſtendant quomodo vincendæ ſint iſtæ difficultates.

15. Quia cor hominis ex apprehenſione mali magis præparatur ad boni proſecutionem; poteſt Concionator aliquando Reprehenſionem, aliquando Conſolationem Exhortationi admiſcere, ſive in principio ſive alibi, inſinuando quàm turpe ſit eos nunc indigere ut quis ipſos ad illud hortetur, quod jamdudum ultrò præſtare debuiſſent, &c. vel, cùm talis afflictio illis incumbat, nunc oblatam eſſe occaſionem hortandi ad illud,

quod abundè eam compenſare valeat, &c.

De Dehortatione.

CAP. XXI.

1. DEhortatio reſpicit malum aliquod futurum, cui obnoxii ſunt Auditores, ſtimulans cor ad illud fugiendum. Hujus ſcopus eſt excitare timorem; adeóq; repræſentat illud, à quo dehortatur, ſub formali ratione objecti timoris, quod eſt *magnum malum, imminens, vitabile.*

2. Fundamenta Dehortationis, ſive Diſſuaſiva, ſumenda ſunt à malo ejus rei, à quâ dehortamur. Malum conſideratum

ratum ſecundùm gradus & genera ſua æſtimari poteſt ex oppoſito bono in inhoneſto & indecoro; vel inutili & injucundo.

3. Malum hîc urgeri poteſt oppoſitè ad Bonum in priori actu. Addi poteſt etiam (ſi ità videbitur) difficultas aut impoſsibilitas ſatisfaciendi deſiderio in eâ re: Quanquam hoc videtur externum potiùs actum impedire, quàm radicem peccati, quæ in corde eſt, evellere; magiſque tendere ad ſtultitiam hominis, quàm ad iniquitatem rei arguendam.

4. Huic etiam adjicere licet (hypotheticè) Denuntiationem, aut etiam Lamentationem,

nem, ſicut & Benedictionem; de quibus anteà: Denuntiationem in eos, qui malum, à quo dehortamur, proſequuntur, aut non fugiunt; Benedictionem in eos qui fugiunt.

5. Imminentia notat futurum, & arduum. Futurum autem hîc non opus eſt ex Notis arguere. Neque enim facilè ſolemus (quæ noſtra eſt præſumptio) putare malum præſens eſſe, cùm revera præſens eſt, nedum quando futurum eſt. Quòd ſi præſens eſſet, tum non tam Dehortatione, quàm Reprehenſione aut Conſolatione opus eſſet. Poteſt tamen aliquando (ſi commodum videbitur) ex Notis oſtendi

oſtendi malum adhuc abeſſe ab Auditoribus, quò magis animentur ad illud uſque & uſque fugiendum.

6. Arduum hîc videtur eſſe eſſentiale ad objectum timoris, ideóque neceſſariò exponendum, oſtendendo propinquitatem inſtantis nóſq; prementis mali, ejúſque vitandi difficultatem. Difficultas conſiderari poteſt, tum reſpectu Dei res ità providentiâ ſuâ adminiſtrantis, ut oblatis ſubinde peccandi occaſionibus obedientia noſtra exploretur; tum reſpectu noſtrî, qui ut ex nobis ipſis proclives ſumus ad malum, ità etiam à Satana & inſtrumentis ejus allicimur & impellimur. 7. Ex

7. Ex alterâ tamen parte, vitabilitas mali apparebit expositis Mediis ejus vitandi, simúlque promissionibus Dei, quibus & potentiam utendi mediis, & successum nobis pollicetur.

8. Media hîc sunt vel removendo Illativa, sive vitando ea quæ malum inferre possunt, id est, causas mali; vel inferendo Prohibitiva, sive adhibendo ea, quæ malum arcere possunt, id est, causas contrarii, aut causarum contraria. Hîc etiam aliquando erit occasio præmittendi generale prærequisitum ad vitanda Illativa, & inducenda Præservativa.

Crypſis.

9. Quando τὸ διότι continet præcipua Diſſuaſiva, faciendum, ut ſuprà in Exhortatione.

10. Hîc etiam admiſceri poteſt aliquid ex reliquis Uſibus, quod huc conducat; ut Conſolatio ex abſentiâ mali, quæ argui poteſt ex diſsimili conditione aliarum Congregationum, &c.

FINIS.